MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80285-2

AUTHOR: DUQUESNOY, FERDINAND

TITLE: KANTII THEOLOGIA EX LEGE MORALI

PLACE: ABBEVILLE

DATE: 1876

91-80285-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


193KF Duquesnoy, Ferdinand
Z9
Q Kantii theologia ex lege morali ducta expenditur
Paris 1876


No 2 of a vol of dissertations

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-27-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM



Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202





MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

KANTII
THEOLOGIA
EX LEGE MORALI DUCTA
EXPENDITUR

HANC THESIM
SUBJICIEBAT
FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

Ferdinandus DUQUESNOY PRESB.
PHILOSOPHIÆ IN LYCEO RUTHENENSI RECENS MAGISTER.

Ἐκ τῶν ὁρωμένων ἀγαθῶν οὐκ ἴσχυσαν εἰδέναι
Τὸν Ὄντα. (Σοφ. Σαλ. ΙΓ΄. 1.)
Οὗτοι ἑαυτοῖς εἰσὶν νομός. (Ρωμ. Β΄, 14.)
Φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. (Ρωμ. ΙΒ΄, 3.)

ABBEVILLE
TYPOGRAPHIE GUSTAVE RETAUX
90, CHAUSSÉE MARCADÉ, 90

1876

KANTII

THEOLOGIA MORALIS

KANTII THEOLOGIA

EX LEGE MORALI DUCTA

EXPENDITUR

HANC THESIM
SUBJICIEBAT
FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

Ferdinandus DUQUESNOY PRESB.
PHILOSOPHIÆ IN LYCEO RUTHENENSI RECENS MAGISTER.

Ἐκ τῶν ὁρωμένων ἀγαθῶν οὐκ ἴσχυσαν εἰδέναι
Τὸν Ὄντα. (Σοφ. Σαλ. ΙΓʹ. 1.)
Οὗτοι ἑαυτοῖς εἰσὶν νομός. (Ρωμ. Βʹ, 14.)
Φρονεῖν εἰς τὸ σωφρωνεῖν. (Ρωμ. ΙΒʹ, 3.)

ABBEVILLE
TYPOGRAPHIE GUSTAVE RETAUX
90, CHAUSSÉE MARCADÉ, 90
—
1876

CAPUT PRIMUM.

CONSILIUM AUCTORIS EXPONITUR. — QUÆDAM DELIBANTUR DE NOSTRI INTELLECTUS OPERATIONIBUS. — SPECULATIVA KANTII THEOLOGIA AD ALIQUOT CAPITA REDIGITUR.

I. Eorum hominum qui philosophiæ dant operam nihil unquam magis commovit animos, nihilve magis fuit fama celebratum quam illa quæ, sub elapsi proxime sæculi finem, in Germania de tota re philosophica protulit in lucem Kantius, cum videlicet diligentissimum, ut ipse aiebat, criticum agens, de universis prope rebus dubitari posse contendit. Inter omnia vero quæ nova et propria dubitandi ratione constituere voluit, illa, credo, dominantur quæ de Deo disseruit, non quod hac in re magis quam in cæteris rebus propriis placitis indulserit, sed quia theologia reliquæ philosophiæ et dignitate et utilitate longe antecellit.

Cupiissem itaque hanc Kantianæ philosophiæ partem, theologiam nempe omnem peculiari lucubratione tractare et diligenti trutina examinare. Sciebam equidem quam difficile quantæque molis hoc opus

fuisset; sed illud firmasset animum quod multi jam et ii quidem acutissimi ingenii homines in tota Kantii doctrina explicanda laboraverunt; itaque una illa mihi provincia reliqua, ut videbatur, fuisset ut quæ illi de universa ejus disciplina disseruerunt, ea ego in sola theologia expendenda et dijudicanda concluderem. Verum illud obstaculo prorsus fuit quod ejusmodi opus in volumen crevisset multo majus quam consueta et quasi legitima latinæ qualis hic a me componitur *thesis* brevitas ferre videretur.

Interim animadverti coarctandi vel potius partiendi hujus operis aliquam opportunitatem esse: Kantius enim universam theologiam in speculativam ac moralem divisit, nihilque in totâ ejus doctrina tantis controversiis occasionem dedit, cum alii utramque Kantii theologiam unius ejusdemque sententiæ esse, alii vero eum in theologia morali sententiam mutasse atque ad orthodoxam philosophiam rediisse contenderint, alii denique alia multa dixerint.

Itaque operam meam in una theologia morali collocare constitui et illa duo, quam maxima potero cura, anquirere et explicare:

Primum quid ipse Kantius in hac theologia docuerit, quidque re ipsa sibi proposuerit.

Tum quanti hæc theologia per se valeat.

Quæ quidem duo ordine disputata et illustrata hocce opusculo lectori offeram.

Sed antequam labori manum admoveam, lectorem monere cogor, ne forte puræ latinitatis amantior,

barbaras, insolentes aut ab usitatis licentius detortas voces abhorreat quas sæpissime usurpare necesse erit; licebit enim mihi eam sequi regulam quam olim Bossuetus, pari compulsus necessitate, rectissime sic expressit: « Verbis utimur vulgatissimis atque notissimis, nihil scilicet veriti fastidiosas aures quæ nihil nisi ex Tulliano Terentianove penu depromptum admittant, hujus eloquii plerumque imperitissimi. Nos profecto, ut non sumus eorum numero qui theologicam veritatem nonnisi horrida incultaque ac scholastica oratione explicari posse putant; sic ab iis abhorremus qui ne id quidem æquo animo patiantur, novas res novis designari vocibus. Itaque ***investituras***, ***hominium***, ***feudos*** (1) aliaque hujuscemodi, tanquam venena horrent; at dum refugiunt ***infallibilitatem***, ***superioritatem***, ejusdemque generis in schola receptas usitatasque voces, in eos se verborum circuitus induunt, unde evolvere se non possit oratio (2). » In istam ego sententiam eo; attamen id enitar ut eos limites ne egrediar quos nobis quodam modo Ludovicus Quicherat descripsit (3) in opere noto, in quo scilicet vocabula collegit quæ usque ad annum Christi DC producta sunt.

II. Totam igitur Kantius theologiam, rationalem puta ac solo hominis ingenio repertam atque elaboratam, duplici, uti et ipsam cognitionem, ratione

1. Habent editi *feudos* pro *feuda*.
2. Def. decl. Cler. gall. edit. Luxemb. Præfatio ad finem.
3. Addenda Lex. lat.

considerat, primum quatenus est *theoretica*, tum quatenus est *practica:* quæ quidem solemnis est apud Kantium divisio. Jam vero quid ista significent ipse nobis statim est edicturus: « Cognitionem *theoreticam* eam, inquit, definio qua *quæ sunt* cognosco: *practicam* vero eam qua *quid esse debeat* cogito. Quocirca, usus rationis theoreticus in eo versatur quod aliquid *a priori* (ut necessarium) esse cognosco; practicus autem in eo quod *a priori* cognosco quæ esse debeant (1). » Paulo post hæc addit: « Cognitio theoretica *speculativa* erit, si relata fuerit ad rem vel ad conceptum rei quam nulla experientia possumus attingere. Eadem opponitur *cognitioni naturæ*, quæ non ad alias res, non ad alia prædicata spectat quam ad ea quæ in aliqua possibili experientia occurrere forte possunt (2). »

Ex duplici autem hoc cognoscendi genere duplex oritur, judice Kantio, theologia; prior vocatur *speculativa*, quæ quidem nequaquam illi naturæ cognitioni quam modo Kantius definiebat respondere possit, uti satis per se patet; posterior autem *practica* nomine dicitur. Gravissima porro est sententia quam de utraque, longissimis habitis disputationibus, Kantio ferre placuit: « Contendo, inquit, periclitationes omnes quæ fieri potuerunt ut in re theologica mere speculativus adhiberetur rationis usus, omnino irritas

1. Dial. transc. lib. 2, cap. 3, sect. 7. — Barni, t. 2, p. 220.
2. Barni, t. 2, p. 222.

fuisse, et secundum intimam suam naturam nullas nulliusque virtutis esse (1). »

Dubitat ergo, inquies, Kantius utrum sit Deus necne? Hæc est ipsissima ejus doctrina. Sed rursus audi quid de theologia practica pronuntiet: « Sunt quædam practicæ leges, morales videlicet leges, quæ absolute necessariæ sunt... ; hæ autem non solum ponunt ens aliquod supremum sed etiam jure merito illud postulant, respectu tamen duntaxat practico (2). »

Immane quantum differre videantur istæ duæ apud Kantium theologiæ : sed differentia hæc in speciem prope tota est: videbimus enim ut Kantius per multas ambages, perque multas secum pugnantes conclusiones, sui semper consilii conscius ad unam eamdemque in utraque theologia pergat metam : meta autem hæc nihil aliud est quam dubitatio utrum Deus sit necne ; adeo ut in fine theologicorum suorum scriptorum Kantius jure meritissimo ponere potuisset quod in principio sui libri posuerat olim Protagoras Abderites, sophistes vel maximus : « De Diis neque ut sint, neque ut non sint habeo dicere (3). »

III. Sed ut materiam hanc recte distribuere et perspicuo stylo explicare possim, duo mihi ante omnia sunt præstanda : primum enim quædam ad totam Kantii de humana cognitione disciplinam spec-

1. Barni, t. 2, p. 223.
2. Ibidem, t. 2, p. 221.
3. Cic., de nat. Deor., lib. 1, cap. 23.

tantia exponere debeo, ut possit lector ejus theologiam mente capere; tum, sub oculos lectoris ponenda est speculativa ejus theologia ad brevia quidem capita redacta, ut cum theologia morali post comparari queat.

Equidem de humani animi cognitionibus illa universim tueor: videlicet eas omnes duplicis generis facio: unum genus est, cum rem cognitam, qualiscumque hæc demum fuerit, ipsam mente omnino tenemus ac plenissima luce intuemur: quæ quidem cognitio (quam *intuitum* vocare fortasse expedierit), quam rara sit, quam pauca complectatur, facile perspiciet quisquis secum reputare volet quid illud sit rem cognitam quasi tenere et plene intueri.

Alterum genus est cognitionis, cum rem cognitam, etsi affirmamus, non ipsam tamen in se tenemus: hoc cognoscendi genus *credere* satis commode vocari potest; huic autem *verbo* vix est in latina lingua *nomen* quod apte respondeat; eligam igitur nomen *fidei*; quod quidem fidei genus cognitionum nostrarum partem longe majorem complectitur, siquidem prius illud cognoscendi genus tanta est excellentia ut in paucissimis rebus locum habeat. Ceterum ista fides multos eosque inæquales capit gradus, a certitudine quæ omnino inconcussa est usque ad ipsam dubitationem et pro tempore ac loco diversa recipit nomina, exempli gratia, persuasionem, existimationem, conjecturam, opinionem.

Ex hac etsi brevissima explicatione jam vident qui

sunt in Kantio versati, videbuntque confestim omnes quam longe diversa sit hæc fides ab ea quam Kantius nobis exponit (1) et in qua vix quidquam perspicui, vix quidquam firmi invenimus. Sed prius illud cognoscendi genus, si perspicuitate quam maxima loqui volumus, iterum in alia duo est dividendum: duplici enim et quidem diversissima ratione, intuendo cognoscere possumus, *percipiendo* videlicet et *concipiendo*; quæ quidem nomina a me imposita explicanda sunt: itaque *percipere* vocabo, cum res menti obversans ea erit quæ ab ipso percipiendi actu minime pendeat; qua ratione percipere dicuntur et sensus et conscientia et quædam aliæ animi facultates. Sed *concipere* vocabo, cum res ab ipso concipiendi actu distincta non erit ac proinde nonnisi per hunc actum exsistet, inque actu ipso versabitur, peritura statim atque actus ipse evanescet. Sic concipimus ea omnia quæ, post factam perceptionem, animus sibi per *abstractionem* repræsentat; sic ea concipimus quæ, sine ullo exemplari extrinsecus percepto, sed ope tamen quarumdam perceptionum, animus, vi quadam interna, parit ac sibi efformat; cujusmodi sunt et unitas numerica et res geometricæ. In his autem intelligentiæ actionibus tum dividendis tum denominandis, nobilem nostri ævi philosophum fere secutus sum Adulphum Garnier (2).

1. Crit. rat. pur. Method. cap. 2, sect. 3.
2. Traité des fac. de l'âme. Fac. intell.

Kantius autem de humana notitia infinita disserit in suis libris; ex quibus pauca admodum delibabo quæ ad intelligendam ejus theologiam magis necessaria videantur. Et primo quidem ex diversis cognoscendi facultatibus tres præcipue illustrat, *sensibilitatem*, *intellectum* et *rationem*, sic enim ipse nominat, eisque magnum in condenda et quasi ædificanda sua philosophia munus assignat: « Omnis, ait ille, cognitio nostra a sensibus initium sumit; transit inde ad intellectum, et in ratione absolvitur (1). » De quo observabo animi facultatem quæ hoc nomine vere digna sit, ejusmodi esse debere quæ operationem suam ipsamet absolvat. Sed paulo magis tres istas facultates ex ipso explicemus: Sensibilitas (sinnlichkeit) igitur, capacitas ea est qua ex rebus perque modum quo res nos afficiunt, accipimus repræsentationes (vorstellung) seu intuitiones (anschauung), quæ quidem prima sunt cognitionis materia et sine quibus nulla posset haberi *cogitatio*. Intellectus (verstand) autem ea facultas est quæ nobis conceptus suppeditat quibus res a sensibilitate oblatas cogitamus. Etenim, si Kantio fides, cæcæ forent sensibilitatis intuitiones, nisi adesset intellectus, ipsius vero intellectus conceptus sine sensibilitate vacui essent (2). Munus ergo intellectus est judicare, seu, quod idem est, cogitare (3).

1. Dial. transcend. Introd. n° II. Barni, t. 1, p. 359.
2. Log. transc. Introd. n° 1. Barni, t. 1, p. 110-11.
3. Ibid. Analyt. transc. Lib. 1, ch. 1. Barni, t. 1, p. 125-6.

Primigenium autem hoc intellectus munus Kantius in multa alia distribuit et postea ad rationem transit. Rationis (vernunft) vero quale munus est? Axiomata intellectus puri nullum alium habent usum nisi empiricum; sed naturali quodam ludibrio mentis, usum ipsis tribuimus transcendentalem, unde multi scatent errores: atqui ille ipse mentis error, sic certe Kantius, in ratione pura sedem habet suam. Ista namque facultas illud exercet munus ut cogitationem ad supremam unitatem redigat. Itaque dum intellectus, quarumdam regularum ope, phænomena ad unitatem redigit, ratio, contra, quorumdam axiomatum ope, regulas intellectus ipsas rursus redigit ad unitatem. Quo quidem munere in multos errores nos impellit (1).

Ad eamdem rationem referri satis commode posse puto ea, et quidem prolixa atque haud paulum intricata, quæ disserit de *opinione*, *scientia* ac *fide*, sive de variis mentis nostræ in judicando affectionibus. De qua quidem Kantii præceptione jure meritissimo, mea certe sententia, illa scripsit vir acutus ac diligens Adulphus Garnier: « Cum plerasque intelligentiæ nostræ operationes, perperam explicarit, inde conjicere possumus fore ut illud quod est *scire* ab eo quod est *credere* parum sane distinxerit (2). » Istæ tamen commentationes, qualescumque sunt, ad intelligendam veram Kantii in theologia sententiam, sunt necessariæ.

1. Dialect. transc. Introd. I, II.
2. Fac. de l'âme, l. 11, c. 5, § 23.

Kantius multa et quidem mira de persuasione vera aut falsa explicat quæ hic referre non est opus : tum ista ad rem nostram accedentia scribit : « Existimatio rem aliquam esse veram, vel, aliis verbis, subjectiva judicii vis, si referatur ad persuasionem veram (ueberzeugung) quæ quidem *objective* valet, tres capere potest gradus : opinionem (meynen), fidem (glauben), scientiam (wissen). Opinio, judicium illud est quod *subjective* non minus quam *objective* insufficiens esse se conscit. Quando vero judicium *subjective* tantum sufficiens est, simul autem velut *objective* insufficiens reputatur, *fides* vocatur. Ac tandem, si quod judicium, tum *subjective*, tum *objective*, sufficiens est, vocatur *scientia*. Subjectiva autem sufficientia vocatur persuasio (ueberzeugung) respectu mei ipsius ; objectiva vero sufficientia, certitudo respectu uniuscujusque (1). »

In his tribus definitionibus quis non statim agnoscat Kantii ingenii indolem ? Tres oportebat utique esse judicii gradus, siquidem, uti poetarum ille deus, impare eoque trino numero Kantius gaudet, eum ubique videt, ubique prædicat. Præterea in infimo gradu duo sunt insufficientia, in supremo autem, duo sufficientia ; medius itaque gradus, ut cum duobus extremis quadret, non potest alius esse nisi partim sufficiens, partim insufficiens. Quid potuit excogitari et collocari venustius quam opus hoc vermiculatum ?

1. Crit. rat. pur. Method. cap. 2, sect. 3. Barni, t. 2, p. 281.

Utinam autem natura et veritas rerum istos ludos ne rideant !

Nunc istarum definitionum sensus quærendus est, et primum, quid valeat illud *sufficiens* aut *insufficiens* a Kantio scriptum. Sane quod sufficiens dicitur, comparate ad aliud dicitur. Hoc autem aliud quid est? Nusquam Kantius, quantum videre potui, hoc nos docet : crediderim ego *sufficiens* illud appellari quod ita valet ut cum firmitate aliqua, sin minus absoluta, judicium pronuntiemus : ex hoc autem patet quid valeat quod dicitur *insufficiens*. Accedamus ad singulas definitiones, primumque expendamus quali ratione Kantius opinionem definiat : ita modo aiebat : « Opinio, judicium illud est quod subjective haud minus quam objective insufficiens esse se conscit (1). » Quis hic non miretur qua cura Kantius jungat illa duo *subjective* et *objective*, quasi facile separari queant? Fingamus enim judicium quodpiam esse subjective insufficiens, et quidem hoc ibi fingamus fieri ubi quod subjectivum est ab eo quod est objectivum quam facillime secerni potest, nempe ubi judicium, quatenus est mentis operatio, rem quampiam respicit ab ipso judicio plane alienam. Quænam est tunc vis istorum verborum : *judicium subjective insufficiens* ? Significant nempe judicantem conscire se non sufficienti lumine illustrari ut cum aliqua certitudine eam rem affirmet quæ in scholis vocatur *judicii objectum.*

1. Crit. rat. pur. Method. cap. 2, sect. 3. Barni, p. 381.

Ergo plenissima illa luce neque ipsam rem intuetur, neque alias res intuetur quæ cum illa ipsa conjunctæ solent esse. Utcumque est, quod subjective est insufficiens, objective quoque insufficiens non esse non potest, siquidem, dum actu ipso judicamus, ex subjectivo atque objectivo judicii elemento fit totum aliquod cujus duæ partes omnino secum quadrant, easdemque, ut ita dicam, præ se ferunt qualitates. Hic anquirere possemus nonne alia et quidem altior fortasse fuerit causa cur Kantius subjectivum ab objectivo separari posse docuerit : sed satis fuerit si intellexerit lector de ejusmodi judicio in præsentia agi quod utroque modo insufficiens est, videlicet non sufficiens ut cum aliqua firmitate pronuntiemus.

Fidei nunc Kantiana definitio expendatur : in fide, ut meminimus, subjective quidem judicium est sufficiens, objective autem insufficiens. Prima quidem fronte, existimares Kantium, ab opinione ad fidem verum gradum facere, quia hic, nempe in fide, elementum subjectivum est sufficiens, cum, contra, in opinione utrumque elementum insufficiens esset. Sed, uti jam dixi, natura et veritas istos non ferunt ludos et fides ista nihilo plus valet quam mera opinio. Natura enim sua, fides, uti initio dixi, judicium est quo rem quampiam etsi non *immediate* perceptam, affirmamus tamen vel negamus, tanquam ab ipso distinctam judicio, quatenus judicium est mentis operatio. Ergo ubi judicium est objective insufficiens, scilicet ubi judicii *objectum* non sufficienter se monstrat, et

ipsi hoc conscimus, tum nulla restat ratio quare judicium ipsum absolute pronuntietur ac proinde subjective quoque judicium est insufficiens. Critico utique assentirer, si diceret in fide judicium non esse illum mentis plenissimum intuitum quo nihil clarius esse potest : hoc enim fides ab ea cognitione differt quæ absolutissime rem apprehendit suam, quæque sæpe *intuitiva* vocatur. Sed ubi non clarum, ubi ne sufficiens quidem est judicium respectu *objecti*, id est rei quam affirmat vel negat, ibi nulla restat fides quæ opinionem superet (quod tamen sibi proponit Kantius), et aliquid firmitatis subjectivæ habeat. At enim Kantius fieri aliquando dicit ut sufficientia subjectiva adsit, quin tamen adsit sufficientia objectiva ! Sed Kantius non animadvertit tunc homini illud, quâmvis falso, persuasum esse, nempe rem objective sumptam ita esse uti subjective existimatur : quod nisi esset, jam homo non crederet, fidem non adderet, sed cogitationes pro libitu fingeret. Ergo elementum subjectivum et objectivum, in mente certe judicantis et credentis, conjuncta semper sunt.

Nunc tertio loco videamus qualis natura sit, Kantio judice, ea quam *scientiam* vocabat. « Judicium, inquit, quod subjective et simul objective sufficiens est, scientia vocatur. » Itaque videmus opinionem et scientiam prorsus nihil commune inter se habere extremumque quasi e regione locum tenere, fidem autem mediam stare et quasi manum alteram cum opinione, alteram cum scientia jungere. Post, definit

Criticus quibus in rebus locum non habeat opinio sed scientia, scilicet in rebus tum mathematicis, tum moralibus.

Sed apprime notemus sufficientiam subjectivam, uti nobis dixit Criticus, persuasionem (ueberzeugung) respectu *mei ipsius* esse, objectivam vero sufficientiam, certitudinem esse respectu uniuscujusque : itaque neque in opinione neque in fide, profitente Critico, certitudo adesse potest. Duo igitur hic observare possumus: opinionem fidemque, si vocabula ista eodem quo Kantius sensu usurpare velimus, judicia fluxa esse et incertissima ; scientiam vero complecti judicia firma et fundata, videlicet tum eas cognitiones quas supra vocavi ego *intuitivas*, tum eas quas, quamvis certas, in eo genere quod est *credere* versari monui.

IV. Nunc, quandoquidem patefacta via est, paucissimis in speculativam Kantii theologiam lectorem introducamus. Ratio illa pura de qua ante egimus, conceptus sibi proprios parit ; hos Kantius *ideas* vocat, quia experientiæ fines omnino egrediuntur, omnesque res probe cognitas exsuperant ; istarum autem idearum quæ præcipua est, ea nomen habet *ideale transcendentale*, quia sibi fingit aliquod ens individuum quod sit *ens realissimum*, *ens originarium*, *ens supremum, ens entium*, vel, uno verbo, Deus (1).

1. Dial. transc. c. 3, sect. 1, 2. Barni, t. 2, p. 164 et seq.

At nullo conatu ejusmodi ens revera extra cogitationem esse mens humana pervincere potest. Quod quidem monstrare Kantius aggreditur, excussis dissipatisque omnibus quæ afferri solent argumentis. Hæc vero ad tria redigit; aut enim speculativa ratio, ea nempe quæ circa *id quod est* versatur, a sensibili hoc mundo profecta, hinc ostendere conatur, secundum causalitatis legem, supremam aliquam extra mundum causam vigere : quod quidem est argumentum *physico-theologicum ;* aut a quolibet ente contingente profecta, inde necessitatem alicujus supremi entis efficit : quod est argumentum *cosmologicum ;* aut tandem, relicta omni experientia, simplicibusque conceptibus innixa, causam aliquam supremam esse contendit ; quod est argumentum *ontologicum* seu *transcendentale*.

Jam vero parum validam esse, plaudentibus multis, facile ostendit Kantius probationem ontologicam ab Anselmo olim repertam ; tum autem contendit, quod quidem est ipsi proprium, in hanc eamdem resolvi primam et secundam ; quod si verum est, ruunt utique omnes hac de re probationes, neque unquam, si Kantio fides, ab homine Deus attingetur.

Quid ergo, Kantio judice, prodest idea theologica, cum hinc Deum re esse ostendere non possimus, illinc vero, atheos et alios similes procul amandare, ejus sententia, debeamus? Sexcenties iterat Criticus ideam istam, uti et alias rationis ideas, *euristicam* esse, non *constitutivam* sive *ostensivam* ; quod sic

ipse explicat : « Quæcumque ad totum experientiæ possibilis contextum pertinuerint, ea debemus universa considerare tanquam si ex his, intra sensibilis mundi limites, absoluta quidem, sed omnino ab alio pendens semperque conditionalis unitas efficeretur, et simul tanquam si omnium phænomenorum complexus (mundus ipse sensibilis), extra suam compagem, supremum principium quoddam haberet, unicum et absolute sufficiens, id est, Rationem quamdam, originariam, vi creandi donatam ac per se consistentem.... Id autem non significat mundi ordinem ejusque unitatem systematicam a suprema quadam Intelligentia ortam, sed ex idea causæ summe sapientis regulam sumi, secundum quam ratio, ut sibimetipsi satisfiat, se gerere erga causarum effectorumque colligationem debet (1). »

Procul tamen abest ut Deum esse prorsus neget Kantius, vel dum in *speculativa* scientia se continet. Haud semel enim profitetur « procul amandari posse quæcumque asseverant athei, deistæ, anthropomorphitæ ; remque factu facillimam esse » animadvertit, quia nimirum « quibus argumentis pervincimus rationem humanam non id valere ut ens aliquod supremum reapse esse firmet, iisdem argumentis necesse est ut vani quoque ii appareant qui ens illud non esse contendant. Quanam enim via, inquit, quæ quidem ad rationis speculationem pertineat, velis certus fieri

1. Dial. transc. c. 3, sect. 1, 2. Barni, t. 2, p. 254.

nullum esse ens supremum, primum rerum omnium principium (1) ? »

Longissime igitur absumus ab hoc ut scientia proprie dicta qualemque superius Kantius definivit, noverimus Deum esse, si ratione speculativa tantum utamur. Nonne autem opinione, nonne etiam fide Deum affirmare nobis dabitur? Kantius ad opinionem refert eas quas vocamus hypotheses ; atqui incunctanter pronuntiat Deum non posse velut hypothesim affirmari, cum sanæ hypothesis conditiones in eo non sint (2).

Sed concedit Kantius esse hic aliquod fidei genus quod *doctrinale* vocat ; fides hæc ex eo in mente nascitur quod si pono sapientem hujus mundi auctorem, commodius naturam scrutabor. Sed hæc fides doctrinalis satis fluxa in se est (3).

Summa igitur speculativæ apud Kantium theologiæ hæc est : scire non possumus utrum sit Deus necne.

Hic aderit forte qui roget num post editum de speculativa ratione librum eadem semper fuerit Kantii doctrina. Respondeo eam ubique inculcari in altero de practica ratione opere quod parvo post intervallo in lucem prodiit, eamque iterum et quidem constanter doceri in tertio opere critico cui titulus *Critica judicii* quodque aliquot annis serius auctor vulgavit ;

1. Dial. transc. c. 3, sect. 7. Barni, t. 2, p. 227.
2. Crit. rat. pur. Method. sect. 3, Barni, t. 2, p. 335 et seq.
3. Ibid. Method. sect. 3, Barni, t. 2, p. 284-5.

placet autem ex hoc opere expressissima hæc verba exscribere : « Omnes, ait ille, probandi rationes theoreticæ vel 1) ad argumentum suppetunt per ratiocinationes logice severas ; vel nisi hoc sit, 2) ad conclusionem ex analogia ; vel si hoc forte locum non habeat, 3) ad opinionem verisimilem; vel denique quod minimum est, 4) ad hypothesim sumendam rationis explicandi duntaxat possibilis. — Jam dico : omnes probandi rationes in genere quæ ad firmitatem animi theoreticam tendunt, non posse ullum assensum hujusce generis, inde ab summo gradu ejus usque ad minimum efficere, si enunciatum de exsistentia Entis originarii ut Dei, in significatione universo hujus conceptus complexui consentanea, ut moralis auctoris mundi, proinde sic ut eo simul creationis scopus indicetur, debeat probari (1). » His autem lectis, quis non videat Kantium de speculativa theologia constantissime sentire et loqui ?

1. Ita vertit Born, vol. III. Crit. jud. 2 part. Methodol. § 90, p. 491. Barni. Crit. du jug. Methodol. § 89, p. 192.

CAPUT SECUNDUM.

KANTII MORALIS THEOLOGIA SIMPLICITER EXPONITUR.

Nihil unquam in Kantio, uti dixi exordiens, tam variis interpretationibus ansam dedit quam quod theologiam speculativam a morali theologia prorsus separavit, quodque, postquam speculativæ theologiæ omnem in probando efficaciam ademerat, erga moralem liberalior factus, vim aliquam ei attribuit. Itaque multi Kantium reprehenderunt quasi secum hac in re pugnaret; quin etiam videre ubique est philosophos qui toto pectore Kantio gratulentur quod tam generoso tamque virili animo a prava deflexerit via, ut in rectam se reciperet. Alii contra vel dubitant verene Criticus sententiam mutarit, vel saltem existimant inter utramque theologiam res ea solertia temperatas ab ipso fuisse ut quam minimum secum pugnasse argui posset. Minime autem mirum quod ita variant in judicando Kantio philosophi : nihil siquidem ille majori diligentia adipisci voluisse videtur quam ut singulari inusitatoque modo et sentiret et loqueretur : mihi quidem nunquam felicior videtur

quam quum de una eademque re sententias ex parte diversas proponere et tueri potest. Quis, verbi gratia, Kantio perlecto perpensoque, definire audeat in qua demum sententia de causalitatis axiomate consistat? Nihilo tamen minus utilem me in expendendo Kantio operam positurum spero; quod quidem illo ordine jam faciam :

Primo, theologiam Kantii moralem simpliciter, uti in se est, exponam.

Secundo autem scrutari conabor quam vim huic theologiæ in intimo penitus animo Kantius ipse tribuerit.

Tertio denique quid eadem per se, judicio meo, valeat dicam ; perque istam occasionem, omnia argumenta quæ moralia nominantur, passim que ad id ut Deum esse vincant, usurpare solent philosophi, parum, si per se separatim spectentur, valere ostendam. Sed critici perfunctus munere, ipse quoque aliquid asseram, adumbrabo scilicet certam argumentandi formam, ad quam, nisi fallor, omnia cujuslibet generis argumenta, modo tamen sana sint recteque instituta, sponte rediguntur.

Hoc autem est totius reliqui opusculi institutum ; nunc moralem Kantii theologiam exponere debeo ; quod ut præstem, primo morale argumentum referam quo Deum esse ille efficere voluit; dein dicam quomodo divinam naturam moralibus item rationibus definire sit aggressus.

ARTICULUS PRIMUS.

Explicatur quali morali argumento kantius esse deum ostendere velit.

I. Novit quicumque scripta Deum esse firmantia vel semel ultimis hisce temporibus attigit, nonnullas afferri probationes quas morales nuncupant. Hujus nominis unam Kantius, et quidem ab ipso, quantum ego scio, excogitatam, pollicetur, statim ac de Deo disserere cæpit (1), spondetque per eam id demum perficiendum quo genus humanum omnino indiget, nempe ut Deus vere esse ostendatur. Novus autem hic locus a Kantio proprie tangitur, tum in opere de *Ratione speculativa* ubi de hujusce rationis Canone disserit (2), tum in opere de *Ratione practica*, ubi de hujus dialectica agit (3), tum denique in opere cui titulus *Critica Judicii* (4) et brevissime aliis in libris (5).

Kantio equidem vitio vertere soleo, nec omnes utique abnuunt, quod satis ad arbitrium libitumque de

1. Dial. transc. lib. 2, cap. 3, sect. 3. Barni, t. 2, p. 182-3.
2. Crit. rat. pur. Method. cap. 2.
3. Critic. rat. pract. lib. 2, c. 2.
4. 2 part. Method. § 84 et seq.
5. Vide opus : *Religio intra rationis limites*, apud Born., cap. IV, part. 1, in nota, p. 501. — Vide ibid. opus : *Initia metaphys. Ethices*, in *Conclusione*. Vol. IV, p. 815.

rebus sæpe disputat ac dijudicat : hujusce indolis illud profero exemplum : postquam humanam rationem nonnisi irrita, in rebus quidem altioribus, conari prolixissime disputavit, illa verba scribit, novam theologiam expositurus : « Attamen, inquit, uspiam esse necesse est fontem cognitionum res ipas attingentium, et ditioni rationis puræ subjectarum, quæque fortassis nec ansam errori darent nisi perperam intelligerentur, et reipsa metam ostenderent quam rationis æmulatio persequatur. Nisi enim ita sit, cuinam causæ illud tribuamus quod, ardore nunquam restinguendo, ratio uspiam extra experientiæ limites pedem certum figere nitatur? Ejusmodi res ratio quidem suspicatur quæ permagno ipsi sunt invitamento ; ad quas ut accedat, viam ingreditur puræ speculationis; illæ vero aufugiunt. Existimemus igitur esse cur rationi meliorem successum speremus in una quæ illi restat via, nimirum in via usus practici (1). » Hic si verba uti sonant sumuntur, jam Kantius incredulus esse desinit : ipsius in mentem aliud aliquid se insinuat prorsus novum : credit enim non sine causa nobis innatam esse tantam sciendi cupiditatem. Quo vel uno quis non judicet magnam in Kantio factam esse mutationem, et nos cum philosopho plane alio negotium habituros? Atqui si res ita sunt, profiteatur Criticus non semper irritos esse rationis humanæ conatus, etsi interdum in errorem

1. Crit. rat. pur. Method. cap. 2. Barni, t. 2, p. 357.

labi possit. Sed postea nihil Kantio cum hac recta simplicitate commune esse videbimus.

II. Nunc accedamus ad ejus morale argumentum et primo videamus quomodo argumentum hoc ipsi proprium præviis explicationibus præparet.

Primum dicit « *practicum* a se vocari quodcumque per liberum arbitrium possibile est (1). » Sed distinguit in genere practico *pragmaticum* et *morale* de quibus postea iterum sermo fiet. Tum ita conjungit ordinem speculativum cum practico : « Universum, inquit, rationis meæ invitamentum (tam speculativum quam practicum) ad tres illas redigitur quæstiones : 1° Quid possum scire ? 2° Quid debeo agere ? 3° Quid mihi licet sperare? »

Prima quæstio tota speculativa est et novimus, Kantii quidem judicio, certi nihil ei posse responderi. Altera autem mere practica est, sicque ei per moralem scientiam respondetur : age quod te felicitate dignum reddat. Tertia tandem speculativa simul et practica est, siquidem ad illam redit : si quod debeo egero, quid tum mihi sperare licebit? Ex qua quæstione patet nos, si Kantio fides est, ordine practico quasi quodam duce ad solvendam quæstionem, tum theoreticam, tum speculativam, dirigi : speculativum est (2), uti diximus, apud Kantium quod ad ea attinet ad quæ nulla experientia perveniri potest. Etenim spes quælibet ad felicitatem tendit et si referatur ad

1. Crit. rat. pur. Method. cap. 2. Barni, t. 2, p. 361.
2. Vide hic cap. 1, n° II.

practicum ordinem legemque moralem, est quoddam sciendi genus; siquidem ad illud demum redit esse aliquid, propter quod aliquid fieri debeat. Sed quid est, Kantio videlicet judice, felicitas? Cernitur quidem illa in omnium nostrarum cupiditatum expletione, vocatque Criticus *pragmaticam* legem quæ *felicitate* quasi stimulo utitur, *moralem* autem, eam quæ nos eo impellit ut *felicitate digni fiamus* (1). Pergit ille: « Prorsus agnosco leges esse morales easque puras, quæ omnino a priori (nullo que habito respectu invitamentorum quorumlibet empiricorum, silicet felicitatis) definiant et quid sit agendum et quid agendum non sit, videlicet quomodo libertate sua utatur rationalis aliqua in genere natura; agnosco quoque has leges absolute jubere ac proin omni ex parte necessarias esse (2). » Ex his vero statim quædam infert Criticus quæ minime sunt contemnenda, quandoquidem ejus judicio speculativa ratio plane cæcutit. « Ratio pura igitur, inquit, non quidem in usu speculativo, verum in quodam usu practico, nempe in usu morali, principia continet unde nascatur possibilitas experientiæ, nempe actiones quæ in hominum historia præceptis moralibus consentaneæ inveniri possent. Hæc enim ratio cum actiones istas fieri oportere contestetur, eas quoque fieri posse necesse est. Ergo rationis puræ axiomata in suo usu morali

1. Barni, t. 2, p. 365, 366, 367.
2. Ibid., p. 368.

aliquam habent *realitatem objectivam* (1). » Videat lector rationi speculativæ practica ratio quanto præstet; speculativa enim intra se manere, Kantio judice, cogitur, practica vero realitatem exteriorem attingit.

Nunc tandem addamus quid nomine *mundi moralis* significetur: « Quatenus, inquit, mundus omnibus morum legibus conveniret, eum mundum moralem voco. Qui quidem tanquam mundus intelligibilis dumtaxat cogitatur, quandoquidem mens neque moralitatis conditiones, neque adeo omnia quæ huic obstare possunt, respicit. Sic autem consideratus mundus idea tantum est, sed idea practica quæ in mundum sensibilem vim aliquam exercere et potest et debet ita ut eum sibimetipsi, quamtum fieri possit, similem reddat. Moralis igitur mundi idea aliquam habet realitatem objectivam (2). »

His autem in antecessum expositis, facilius intelligi posse puto probationem quam Kantius jam est compositurus. Quam cum satis implexa sit, ut lector in longis Kantii explicationibus facilius se regat, summatim hic primo exhibeo: « Necessaria sunt axiomata moralia; ac proin necessarium est ut eum felicitatis gradum sperare unusquisque possit quo se dignum præstare conatur. Sed ista felicitas ad honestatem pro rata portione in omnibus hominibus adjungi nequit, nisi id faciat aliqua potestas suprema,

1. Barni, t. 2, p. 368.
2. Ibid.

sapientissima, justissima, nempe Deus. Est igitur Deus. »

III. Kantius autem argumentum proponit suum quasi responsio esset ad tertiam illam quæstionem supra indicatam: « Si quod debeo egero, quid mihi sperare licet ? » Hanc autem sic ponit: « Quæstio hæc illa est : liceatne, si memet ita gero ut felicitate haud indignus sim, hujus ipsius me participem futurum sperare. Quæ quæstio ut solvatur, illud quærendum est num ea rationis puræ axiomata quæ legem a priori præcipiunt, cum hac lege spem quoque illam necessario connectant. »

En quomodo Kantius quæstionem ponat ; videt legentium quilibet hic agi de Deo etsi nomen tacetur; unus enim Deus potest illud efficere ut ea spes felicitatis non deludatur. Nunc quid a Kantio respondeatur audiamus. « Illud, inquit, pronuntio, quam necessaria sunt axiomata moralia, secundum rationem consideratam in usu practico, tam necessarium esse, secundum eamdem in usu theoretico rationem, ut agnoscamus unumquemque habere cur tantam felicitatem speret quanta sese dignum præstiterit, ac proinde totum moralitatis systema cum felicitatis systemate inseparabiliter quidem, sed tantummodo in rationis puræ idea esse conjunctum (1). »

Hæc igitur prima est Critici propositio: necessaria est futuræ felicitatis ad moralitatem proportio; neque

1. Barni, t. 2, p. 369.

hanc alias apud eum invenio ullis firmatam argumentis. Post autem anquirit quomodo effici possit hæc proportio. « Hoc felicitatis, ait, cum moralitate pro rata portione colligatæ systema fingere possumus uti necessarium aliquo in mundo intelligibibili (id est in mundo morali) in quo concipiendo mens nihil respiceret omnium quæ moralitati obstant, nempe animi propensionum. Tunc enim libertas moralibus legibus partim incitata, partim constricta, per se omnium felicitatis causa esset, ac proin rationales substantiæ ipsæ, ducibus illis legibus, id efficerent ut perpetuo tum sibi, tum aliis bene esset. Verum hoc systema moralitatis se ipsam remunerantis, idea dumtaxat est quæ reipsa perfici non potest, nisi ea lege ut quod quisque debet id agat, scilicet ut omnia omnium rationalium substantiarum facta perinde eveniant ac si a suprema voluntate, voluntatem quamlibet singularem vel in se continente vel imperio moderante proficiscantur (1). »

Hæc lector animadvertat velim, quoniam postea ad trutinam revocabo. Sufficiat nunc videre quid statim inde Criticus inferat : « Quum moralis legis vinculo, ait, unusquisque, quod quidem pertinet ad proprium voluntatis usum, eodem semper modo adstringatur, etsi alii convenienter cum ea lege non vivant, ideo neque rerum hujus mundi natura, neque ipsarum actionum vel vis effectrix vel ad moralitatem

1. Barni, t. 2, p. 369-370.

habitudo, illud definiunt quomodo istorum factorum effecta proportionem ad felicitatem sint habitura (1). » Kantius ergo in hac verborum comprehensione dicit legem, sive violetur, sive observetur, eamdem manere ac proinde felicitatem hominum ipsis hominum actionibus effici non posse. Nunquam equidem quomodo sententia prior ad posteriorem ducat perspicere potui; itaque alia Kantii verba referam ex simili loco qui in libris de *Ratione practica* legitur. « Rationalis, inquit, substantia quæ hoc in mundo versatur et agit, nec mundi neque ipsius naturæ est effectrix. Non potest igitur lex moralis propriis viribus necessariam rectamque felicitatis ad moralitatem proportionem constituere in ejusmodi substantia quæ, cum sit mundi pars, ab hoc quoque pendet, nec proin hujus naturæ causa esse potest, eamque, quod quidem ad suam felicitatem pertinet, cum sua practica disciplina prorsus convenientem reddere (2). » Nunc credo satis claram esse Critici sententiam, scilicet non potest virtus in hac vita ad arbitrium felix esse, quia hominum potestas nullam aut certe parvam vim tum in alios homines, tum in totam naturam exercere valet. Sed quæ tandem est argumenti clausula? « Humana ratio, ait, si solam naturæ rerum constitutionem tamquam regulam sequatur, colligationem illam necessariam agnoscere

1. Barni, t. 2, p. 370.
2. Crit. rat. pract. Dial., cap. 2, n° V. Barni, p. 333.

non potest quam modo memorabamus, qua videlicet conjunguntur et spes felicitatis et conatus perpetuo repetitus ut felicitas attingatur; neque illud unquam fore sperare potest, nisi veluti causam naturæ rerum supremam aliquam Rationem constituat quæ ad normam legum moralium jubeat (1). »

En tandem Deum Kantius invenit : Deus enim est ista suprema Ratio; sed ipse vocabula consueta Deum, Creatorem, alia similia jam adhibet; illa enim audi : « Mundum intelligibilem seu moralem fateri debebimus tanquam mundum nobis futurum, quique sic adveniet uti quisque in hoc sensibili mundo facta sua direxerit. Ergo et Deum esse et vitam alteram fore sumptiones duæ sunt quæ, secundum rationis puræ disciplinam, ab ea lege morali divelli nequeunt qua ratio eadem nos adstringit. Ex moralitate per se spectata efficitur aliquod systema, non efficitur autem ex felicitate, nisi hujusce fuerit cum moralitate æqua proportio. Hæc autem proportio possibilis non est, nisi in mundo intelligibili quem sapiens moderetur creator. Ratio ergo eo cogitur ut aut ejusmodi substantiam esse fateatur..... aut leges morales tanquam vana somnia habeat, siquidem, missa ista sumptione, evanescit illud quod, ipsa (ratione) judice, hisce legibus est consequens. Itaque unusquisque leges morales tamquam jussa habet, qualia utique esse non possent, nisi a priori consequentia quædam leges istæ

1. Crit. rat. pur. Method., cap. 2. Barni, t. 2, p. 370.

e suis imperiis educerent, et nisi proinde pollicitationes minasque exsererent. Sed hoc ipsum efficere non possent, nisi in necessario ente aliquo vigerent (1). » Hoc est quod ex Kantio exponere volebam morale argumentum quodque unum, si Kantio fides, Deum esse pervincere valet.

Hanc autem argumenti formam ex primo Kantii opere critico deprompsi : quis porro dubitet in libro *de Ratione practica* eam copiose exponi? Sed gratum ego lectori me facturum spero, si sub ejus oculos idem argumentum posuero quale Criticus, aliquot post annis, in libro *de Judicio* concepit : « Lex moralis, inquit, ut conditio formalis ab ratione profecta libertatis utendæ, obligat nos ut ex se sola, neque ex ullo alio fine quodam... pendeamus ; verumtamen ea nobis quoque determinat et quidem ex anticipatione scopum quem ea nobis præcipit sectandum; isque est summum bonum per libertatem in mundo possibile. Conditio subjectiva qua homo.... sibi sub illa lege scopum queat proponere, cernitur in felicitate. Ergo summum bonum in mundo possibile et, quantum in nobis est, ut scopus, promovendum, bonum physicum in felicitate versatur, cum adjunctione convenientiæ hominis cum lege moralitatis ut dignitatis felicitate perfruendi. Verum hæc duo requisita scopi nobis per legem moralem propositi, fieri non potest ut ex universis rationis viribus nostris, ut per

1. Ibid. p. 371.

solas causas physicas conjuncta ideæque scopi illius consentanea cogitatione nobis informemus.... Igitur causa mundi nobis moralis (mundi auctor) sumenda est qua nobis legi morali convenienter scopum proponamus et, quatenus hoc posterius necessarium est, eatenus.... et prius erit ut necessarium sumendum scilicet Deum esse (1). » In istis nihil aliud novi mihi occurrit nisi quod Kantius *scopi* nomine appellat conjunctionem illam virtutis et felicitatis ad quam, tum naturæ impetu, tum lege morali tendimus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Kantius ex lege morali qualis sit deus determinat.

I. Altera nunc aggredienda est disquisitio, videlicet quonam modo Criticus ex solis moralibus rationibus velit divinam naturam definire sive, ut in schola loquuntur, Dei attributa determinare. Et ille quidem in tribus criticis operibus (2), adeo sententia hæc menti insederat, docet nos quam efficax sibi videatur, hac quoque in re, moralis præ speculativa theologia : en quid scribat: « Ratio, propter necessitatem dirigendæ in summum bonum voluntatis, ali-

1. Ita vertit Born, vol. III, Crit. jud. 2 part. Method., § 87, p. 477. Barni, ibid., § 86, p. 167-8.
2. Crit. rat. pur. Method. c. 2, sect. 2. Critic. rat. pract. Dial., c. 2, nº 7. Crit. jud. Method. § 85.

quid consequitur quod in via naturali consequi non poterat, conceptum videlicet supremi hujus entis accurate determinatum. Quum mundum istum ex parva duntaxat particula nosse possimus, quumque multo minus eum cum cæteris qui exsistere possint mundis possimus comparare, poterimus utique ab ordine, a finium contextu, a magnitudine quæ in eo lucent, causam inductione inferre *sapientem*, *bonam*, *potentem*, etc., minime vero causam *summe sapientem*, *summe bonam*, *summe potentem*, etc. Concesserit etiam quilibet illud quod huic probationi non deesse non potest, jure suppleri aliqua hypothesi et legitima et rationi consentanea, ita videlicet ut, quum in omnibus quæ penitus tandem dispicere et nosse licet, eluceat sapientia, bonitas, etc., facillime liceat conjicere non aliter se habere cætera ; ac proin rationi consentaneum fore, si mundi hujus auctori omnem tribuamus excellentiam possibilem. Verum non eæ sunt istæ illationes in quibus de nostra perspicientia superbire liceat. Conceptus igitur Dei intra fines philosophiæ empiricæ (physices) parum accurate determinatus est, quod pertinet ad entis primi excellentiam, adeo ut eum judicare non possimus velut adæquatum divinitatis conceptum. (Philosophia vero prima, quatenus est transcendentalis, nihil omnino hic efficiat.) Illum autem conceptum si conor cum rationis practicæ *objecto* conferre, deprehendo per moralem disciplinam nihil aliud a me concipi posse nisi eum mundi hujus auctorem qui summæ sit

excellentiæ. Omnia eum scire necesse est, ut vel intimas animi mei voluntates in omnibus quæ possunt advenire rebus et in omne futurum tempus perspiciat ; omnia quoque posse eum necesse est, ut mihi quæ mea facta merentur reddat ; item necesse est ut sit et ubilibet locorum præsens et æternus. Sic lex moralis per summi boni conceptum tanquam rationis puræ quidem sed practicæ *objectum*, determinat conceptum entis originarii quatenus est ens summum ; quod quidem effici nequibat methodo physica, aut, si altius res repetamus, methodo metaphysica, neque adeo tota speculativa ratione (1). » In hisce verbis quasi compendium totius theologiæ habemus. Sed cum sit illud in theologia unum gravissimum ut sciamus unusne sit Deus an plures, Kantium afferre volo Dei unitatem ex doctrina morali firmantem : « Moralis hæc theologia, inquit, theologiæ speculativæ hoc præstat quod nos non ducere non potest ad entis primi conceptum, et ejusdem unici, omnium perfectissimi, rationisque compotis : quem utique conceptum speculativa theologia nobis vel suis axiomatibus objectivis ne indicat quidem, nedum verum esse pervincere valeat... Cum, contra, unitatem moralem respicientes tanquam necessariam mundi legem, solam illam causam anquirimus qua possit ea lex omnem vim exserere suam, et proin nostram voluntatem obligare, tum videmus eam causam voluntatem

1. Crit. rat. pract. Dial., c. 2, nº 7. Barni, p. 357-358.

unicam esse oportere supremamque, et omnes has leges in se continentem : quomodo, enim, in diversis voluntatibus perfectam finium unitatem invenias(1)? » Ita kantius, ita ex sola ratione argumenta ducit ut divinam naturam determinet.

II. Sed doctrinam suam aliis argumentis confirmare conatur atque ipsam philosophiæ humanæque rationis historiam in auxilium advocat ut moralis doctrinæ vim in theologia ostendat : disputat enim theologiam nunquam expolitam fuisse, antequam moralis doctrina expoliretur, eamdem autem profecisse statimque atque hæc vigeret : verba profero Kantii : « Antequam morales conceptus purgati determinatique forent, et systematica finium unitas ad normam istorum conceptuum et ex necessariis axiomatibus judicaretur, nec naturæ rerum cognitio, nec rationis cultura in aliis disciplinis multum utique provecta, aliud parere potuerunt quam rudes vagosque divinitatis conceptus, neque humanum genus ut huic quæstioni operam daret potuerunt impellere. Sed ubi, majori cura, morales notiones elaboratæ sunt, quod quidem ex lege illa morali maxime sancta Religionis nostræ factum necessario est, tum theologiam humana ratio sibi prodesse melius intellexit, acutiorque evasit : et quamvis nec latiores suppeterent naturales notiones, nec adessent notiones transcendentales veræ certæque (quæ quidem nullo

1. Crit. rat. pur. Method. c. 2, sect. 2. Barni, t. 2, p. 374.

tempore non defuerunt), tamen ea exorta est divinæ naturæ notio quam nunc pro vera accipimus, non quod speculativa ratio nobis id persuadeat, sed quia cum moralibus rationis axiomatibus plane consentit (1). » Hæc Kantius in primo critico opere : in secundo autem, græcis veteribus id tribuit quod hic de christianis hominibus dicit : quæ quidem mutatio non doctrinam sed ipsa tantum gesta attingit.

En sub oculis lector habuit totam Kantii theologiam speculativam atque moralem, sed moralem præsertim qualem ipse exposuit ; nunc ad aliud gradus est faciendus, nempe ad quærendam arcanam Kantii de theologia morali mentem ut inde pateat quantum quove modo Deum esse crederet.

1. Ibid., p. 376-7.

CAPUT TERTIUM.

QUÆRITUR QUÆ DE VERA THEOLOGIÆ MORALIS VI IPSA KANTII MENS.

Hic a me dirimi, si tamen dirimi possit, controversia illa jam memorata debet, num Kantius, postquam in theologia speculativa Deum esse dubitarat, in morali deinde theologia illum esse crediderit. Sunt, uti jam dixi, qui contendant ipsum sibi, re certe, constitisse ; sed illa potissimum opinio regnat philosophum nostrum, quod speculativa via reperire non potuerat, morali via feliciter reperisse, et in eadem qua totum genus humanum fide acquievisse. Quomodo tam diversa judicia componi possunt, cum nonnullos in utrisque hisce partibus fuisse credere debeamus qui veram Kantii mentem, nulla præcepta opinione, quærerent? Equidem in eam sententiam ibo ut dicam posteriorem Kantii theologiam, sin minus re, specie certe, cum priori pugnare. Timuit enim ille ne, si speculativæ suæ theologiæ præcise staret, argueretur quod atheus esset ; aliam ergo theologiam apparavit, moralem nempe in qua Deum certa et propria sibi ratione profiteretur. Qui

fieret igitur ut in duabus hisce theologiis aliqua pugna non esset? Rursus tamen pati non poterat tantus philosophus ut vel in speciem ad extremum usque perstaret ista pugna, utque homo, postquam in theologia nihil ratione speculativa posse convictus fuerat, aliam tamen theologiam et eam quidem certam ulla via reperire posse putaretur. Ideo Kantius et moralem suam theologiam explicando prorsus infirmavit, et in hoc tamen multis usus est ambagibus, ne apertior foret illa utriusque theologiæ convenientia propter quam atheis potuisset annumerari.

Hæc omnia nunc monstrare debeo : duo igitur illa præstabo :

Primo, ostendam qua ratione Kantius moralem suam theologiam explicando infirmet ;

Secundo, anquiram quali verborum formula illam fidem exprimat quam morali theologiæ addere possumus.

ARTICULUS PRIMUS.

Kantius moralem suam theologiam explicando infirmat.

I. Si quis statim et sine ulla dubitatione perspicere velit quam infirma, vel ex ipsa Kantii mente, vel certe ex universa ejus disciplina, moralis ejus theologia sit, illa duo recordetur : primum quam expressis verbis Kantius speculativam rationem nihil

certi attingere posse pronuntiarit (1); tum eamdem hanc speculativam rationem esse, non autem aliam, quæ longe præcipuum munus in morali quoque theologia exercere debeat. Atqui Kantius non ita secum pugnavit ut eamdem animi facultatem et nihil et magna efficere posse edixerit; ex quo jam nunc intelligere quivis potest quam infirma ex ipsa Kantii mente moralis theologia sit. Sed si res ita se habet, inquies, cur potuit Criticus moralem theologiam, speculativa contempta, tantis laudibus efferre? Quia, cum speculativa nulli, si ipsi credamus, fundamento niti possit, moralis, contra, moralia sive dogmata sive judicia pro fundamento habet. Sed illud statim animadverte, prudens lector, quod moralia ista dogmata non *quid sit in rebus* sed quid in *liberis hominum consiliis factisque evenire deberet* definiunt, ita ut fundamentum hoc omnino vacillet. Itaque Kantius et sibi constare et in speciem mutari semper conatur, sive, ut aliis verbis idem dicam, Deum esse semper eodemque tempore et profiteri et dubitare videtur.

Unde factum est ut, vel cum suum illud morale argumentum exponeret, nunquam absolutis verbis, uti solent cœteri, illa diceret: « Deus sit oportet, Deus est. » Quæ quidem verba attinent ad rationem quam vocat ille theoreticam, quæ nempe *id quod est* respicit. Equidem fateor ab ipso ad usum rationis

1. Vide cap. 1, n° IV.

theoreticæ illud referri quod unusquisque habeat cur speret felicitatem propriæ virtuti respondentem; sed plerumque Deum uti et vitam futuram dicit esse *sumptiones* (1) ad id necessarias ut moralis ordo omnibus absolvatur numeris. Illud « esse Deum » minime uti dogma demonstratum, si Kantio credimus, haberi debet, sed uti sumptio ad essentiales rationis fines absolute necessaria. Hic autem modus quo Kantius Deum considerat et peculiare ab ipso nomen accepit et satis in philosophia celebris est: dicit enim Deum uti et vitam futuram et animi immortalitatem non demonstrari quidem aut effici sed *postulari*, videlicet tanquam alterius rei conditionem, quod quidem sic explicat: « Si rem aliquam vel esse vel fieri debere indubitato certum sit, pendeat tamen illa res a conditione aliqua, tum aut certa quædam illius rei conditio statui tanquam absolute necessaria, aut conditio ut arbitraria atque accidentalis simpliciter sumi poterit. In priori casu conditio *postulatur* (per thesim).... Cum autem sint leges practicæ (leges morales) quæ absolute sunt necessariæ, si forte leges istæ esse nequaquam possunt, quin simul vere adsit alia aliqua res qua veluti conditione possint vi *obligandi* animos pollere, jam necesse est illam rem *postulari*; quandoquidem conditionale istud unde ratiocinando proficiscimur ut ad determinatam illam conditionem assurgamus, ipsum

1. Crit. rat. pur. Method. c. 2, sect. 2. Barni, t. 2, p. 371.

quoque velut absolute necessarium a priori est notum (1). » Quæ quidem Critici explicatio omnino cum ea *postulati* definitione congruit quam in libro de *Ratione practica* expressit, in quo vocem illam frequentavit, eaque designavit tres summi momenti res quas per rationem speculativam probari non posse contendit : nempe liberum arbitrium, animique immortalitatem, Deique veritatem. Sic enim ibi scribit : « *Postulatum* propositio est *theoretica* quæ cum nequeat, quatenus talis est, probari, ea ex parte consideratur qua legi alicui practicæ a priori atque absolute valenti inseparabiliter adhæret (2). »

II. Sed hic fortasse dicet lector nihil certi de Kantii mente istis verbis declarari ! Respondeo monuisse me nunquam plane perspicui quidquam nos apud eum inventuros quia si perspicuus esse voluisset Kantius, totam consilii sui rationem mutare debuisset. Legere tamen eum pergamus ubi copiose de *postulati* natura disserit nempe in libro de *Ratione practica* : « (Tria postulata), inquit, *dogmata quidem theoretica non sunt*, sed necessariæ, si practicus ordo consideretur, sumptiones ; ac proinde *speculativam quidem cognitionem non amplificant*, sed realitatem objectivam ideis rationis speculativæ tribuunt universim (et quidem per earum ad practicam cognitionem habitudinem), atque istas in legi-

1. Dial. transc. lib. 2, cap. 3, sect. 7. Barni, t. 2, p. 221.
2. Crit rat pract. Dial. c. 2, n° IV. Barni, p. 329

timas transmutant conceptiones quarum vel solam possibilitatem affirmandam speculativa ratio, hoc quidem auxilio destituta, sibi arrogare non audeat. Rogabit autem aliquis num cognitio nostra hoc modo per rationem puram practicam vere amplificetur, atque id quod speculativæ rationi *transcendens* fuit, practicæ rationi nunc *immanens* sit. Utrumque fit utique, sed tantum respectu practico. Namque hac ratione ens supremum quale in se est non perspicimus, sed nihil aliud nisi ejus conceptionem conjungimus cum conceptione practica summi boni tanquam rei a voluntate nostra appetitæ, atque hoc agimus omnino quidem a priori et secundum rationem puram, sed tantum moralis legis ope ; quin etiam rem legi huic consequentem non aliter quam respectu legis consideramus.... Harum (idearum) nulla unquam humana mens possibilitatem perspiciet ; rursum tamen, nullum est sophismatis genus quod vel hominibus e vulgo quibuslibet ideas illas in conceptionibus verissimis non versari persuadere unquam valeat (1).

Disserentem Kantium quo plus audimus atque expendimus, eo magis ipsum proprio judicio quasi vim inferentem deprehendimus ne unquam ulla in parte initam aliquam viam ad extremum persequatur. Quis potest illa duo intelligere atque inter se componere, hinc morali probatione nostram cognitionem amplifi-

1. Ibid. c. 2, n° VI. Barni, p. 347-8.

cari, atque id quod antea *transcendens* erat nunc *immanens* esse factum, id est intra fines notos ac pervios collocatum, illinc vero entis supremi naturam minime cognosci, ne ipsam quidem ideæ theologicæ possibilitatem unquam perspectum iri?

III. Cæterum ipse Kantius ita disserendo optime vidit illud vix intelligi posse, quomodo videlicet amplificari, respectu practico, ratio pura possit, quin tamen, respectu speculativæ cognitionis, amplificetur (1). Si quis enim a præceptis opinionibus alienus rem hanc consideraverit, statim non quærendum quonam modo sit illud possibile, sed nullo possibile esse modo facile videbit; quia amplificatio illa rationis puræ nihil aliud est quam speculativa rationis amplificatio; nascitur quidem illa ex causa practica, id est ex moralis legis contemplatione, sed si accipiatur qualem eam exprimit ipse Kantius, ad theoreticum speculativumque ordinem, nempe ad res ipsas quæ sunt, sed quæ experientiam superant protinus se fert; quæ ergo cognitio amplificatur, theoretica et speculativa cognitio est, si verbis a Kantio positis uti volumus. Præterea meminerit lector quo loco esset theologia Kantii, cum de speculativo ordine, nulla moralis ordinis habita ratione disserere desineret (2); nimirum propositio illa « Deum esse » erat quædam ad investigandam rerum naturam regula; ne hypo-

1. Ibid., n° VII. Barni, p. 348.
2. Vid. cap. 1, n° IV.

thesis quidem nomine digna erat, vixque eam incerta illa fide quam *doctrinalem* vocabat amplecti poteramus. Nunc autem et necessaria hypothesis est, et absolute postulatur, et objectiva realitate donata est. Nonne autem ex his constat speculativæ cognitionis amplificatio? Utcumque contorserit verba Kantius, nunquam aliud diligenti lectori persuadebit. At enim supremam istam naturam, ait Kantius, nequaquam perspicimus! Cur igitur dicit supremam esse? Cur eam esse quæ, virtuti felicitatem addens, summum bonum compleat? Cur eam quæ idcirco toti rerum naturæ dominetur? Cur, ut uno verbo dicam, nobis modo asseverabat per moralem probationem optime Deum *determinari*? Nonne patet in iis Kantium versari angustiis quas supra indicavi? Si speculativæ suæ theologiæ stare vult, inter atheos prope computandus est; si eam apertius rejicit, parum belle secum pugnat. Eum tamen audiamus in opere de *Ratione practica* disserentem quomodo possibile sit istam non fieri speculativæ rationis amplificationem. Primum de integro suam iterat moralem probationem, qualem ex altero opere deprompsi; post una eademque verborum comprehensione agnoscere et negare conatur illam de qua loquimur amplificationem; ait enim: « Sic (nempe per tria postulata notissima, animi libertatem atque immortalitatem et Deum) *amplificatur* utique rationis puræ theoreticæ cognitio, *sed in hoc tantummodo* quod conceptiones illæ quæ per se problematicæ (simpliciter possibiles) sunt, assertorie

nunc agnoscuntur uti conceptiones quibus extra mentem res vere respondent (1). » Optime, abunde enim nobis quod Kantius concedit sufficit. Vix enim potest major fieri progressio quam ubi conceptio problematica in conceptionem evadit cui res certo respondet. Est illa utique amplificatio et quidem rationis illius qua non id quod *esse debeat* sed *id quod est* consideramus. Ac tandem nihil hic deest nisi quod ipsa probatio moralis, quod sæpe monendum, per se parum vel nihil valet.

Sed videamus ut Kantius, quod modo concessit, nunc auferat : « Hæc autem, inquit, theoretica rationis amplificatio ipsius speculationis amplificatio non est, id est, nullum, *respectu theoretico*, positivum affert usum (2). » Mirum ut in his tantis quæ huc usque jam dixit Criticus nullus sit, positivus quidem, usus ! Quomodo hoc ille explicat ? « Namque, ait, cum ratio practica nihil nos doceat nisi has conceptiones *reales esse* vereque res illas esse quæ ipsis sunt subjectæ, sed nequaquam res istas intueri nobis detur, ideo illa quæ istis conceptionibus realitas adscribitur, nulli, syntheticæ quidem, propositioni locum dare potest..... » Tum hæc addit : « Nondum habemus rerum ideis respondentium cognitionem ; nullum enim syntheticum judicium de iis ferre possumus, neque earum usum theoretice determinare, ac proinde nullum earum usum rationalem ac theo-

1. Crit. rat. pract., c. 2, n° VII.
2. Ibid., Barni, p. 349.

reticum facere, cum tamen in hoc tantum speculativa earum cognitio versetur (1). » Sic ille enumerat ea propter quæ speculativam cognitionem hic amplificari negat. Primum est quod tres illas res intueri non datur. Atqui, ut hic de solo Deo loquar, Kantio omnino assentior ; neque enim Deum intuemur et eum in hac vita, nulla unquam via intuendum certo scimus ; nempe intueri dico, quemadmodum conscientia nostra nosmetipsos nostrasque affectiones intuemur. Sed si quis velit æstimare quam pauca sint quæ intueri jure dicimur, facile videbit eum prope σκεπτικὸν esse qui ea omnia dubia esse contendat quæ nobis non liceat intueri. Kantius ipse multum abest ut de rerum natura non innumera tanquam certa asseveret quæ tamen minime intuemur (2). Tum censet Criticus non posse nos syntheticum judicium de istis rebus ac singulariter de Deo ferre. Sed vel Kantium non intelligo, vel ipse secum pugnat : ut enim apud ipsum videre quilibet potest, syntheticam habet hanc propositionem : « Deus est » ; atqui per moralem probationem id efficere sibi visus est quod ita enuntiari potest : « Deus est. » Quis apertiorem pugnam desideret ? Tertio denique sic habet Criticus : « Earum rerum theoreticum usum determinare nequaquam possumus. » Obscurus hic mihi Kantius videtur : ipsum suspicor id velle ut, cum Deum in-

1. Barni, p. 348, 349.
2. Vid. inter alia : Crit. jud. 2 part. Method., § 87, et in Animad gener. Barni, p. 180-228.

tuendo non cognoscamus, definire nequeamus quomodo ea decernere debuerit quæ libere decrevit, quales, verbi gratia, corporei mundi et animorum leges esse debuerint.

Hoc si voluit Kantius, libenter fateor nos pauca de Deo scire, atque in omnibus quæ de ipso affirmamus, a nobis potius qualis non sit quam qualis sit explicari.

IV. Denique aliquid ultimo loco concedit Criticus quod tenue prima facie videri potest, non tamen ab iis contemnetur qui norunt quam severe cognitionem nostram intra rerum sensibilium fines coerceat. « Ergo, inquit, si inde non oritur cognitionis nostræ amplificatio, quod attinet ad *res supra-sensibiles datas*, nihilo tamen minus nascitur amplificatio theoreticæ rationis hujusque cognitionis, quod pertinet *ad id quod in genere est supra-sensibile.* » Nonne patet Kantium velle et nolle? Novit enim quilibet humanam cognitionem a singularibus rebus initium habere : si ergo ea quæ sunt in genere supra-sensibilia, fatente Kantio, novimus, inde hoc est factum quod ea singulariter ante cognovimus. Ceterum ista quis ferat, imo quis intelligat ab eodem illo viro dici qui nobis tot tantaque de Deo, nempe de re supra-sensibili modo disserebat constituebatque? Ecquid in genere tantum atque indeterminate cognoscitur quod unum esse, quod omnia scire, omnia posse, æternum esse affirmatur? Sed immerito, tot tantasque in Kantio variationes miror, cum ille interim constantissime eo collineet quo vult ferire : illud enim vult ut infirma incertaque omnibus videatur nostra supremæ causæ cognitio : quod consilium ut perficiat, nihil magis prodesse perspicit quam si argumenta vel omnium optima quæ afferri possunt, invalida demum esse et fateatur et conetur demonstrare.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quœritur quali formula kantius eam certitudinem exprimat quam moralis theologia in mente parit.

I. Quemadmodum, sub finem (1) speculativæ theologiæ, dixi qua formula, quibusve philosophicis verbis Criticus ultimam suam de Deo sententiam enuntiaret, ita nunc simile quid faciendum, quærendum scilicet quali formula totum id quod theologia morali efficitur exprimat.

Et primum quidem statim videbimus omnino hic a Kantio recipi vocem *hypothesim* quam in speculativa theologia improbabat (2). Nimirum hic pronuntiat necesse esse ut summum bonum re ipsa aliquando sit; hoc autem sine Deo nunquam exsistere posse ; quare Deum ut hypothesim recipit, id est, ut conditionem qua sola summum illud bonum eve-

1. Vid. cap. 1, nº IV.
2. Ibid.

nire queat. Sic enim scribit : « Hoc ipsum quod aliquam esse intelligentiam supremam suminus, theoreticæ rationi proprium est, et si hujus solius respectu atque velut aliquis explicandarum rerum modus consideratur, mera est *hypothesis ;* sed si respiciatur possibilitas intelligendi rem quampiam lege morali propositam (summum scilicet bonum), tum est actus *fidei,* verum fidei pure rationalis, quando quidem ratio pura (in usu tum theoretico tum practico spectata) fons unus est unde promanet (1). »

Fateor non posse me, hac quidem in re, pugnam non agnoscere inter theologiam speculativam et theologiam moralem : in priori enim illa severe hypothesim Kantius damnabat omnem, quæ non ideo solum adhiberetur ut confutaretur adversarius. Quod quo melius intelligatur, utile est commemorare quæ de hypothesi ibi doceat : eam igitur ad opinionem refert, quod quidem cum communi loquendi usu omnino quadrat : postea quærit nonne Deus quem per scientiam, id est, cum certitudine nosci non posse pronuntiavit, opinioni fortasse respondeat, et sit nobis quædam hypothesis. Incunctanter autem hoc esse non posse statuit, quia in Deo non sunt illæ duæ conditiones quas, ipso judice, omnis hypothesis in se habere debet.

Harum conditionum prima est ut hypothesis fun-

1. Crit. rat. pract. Dialect., c. 2, n° V. Barni, p. 335.

damento aliquo fulciatur quod non sit meræ opinionis, sed omnino certum sit, id est quod vel sit re datum vel possibilis experientiæ ambitu contineatur ; ubi enim res aliqua possibilis saltem est, tum de ejusdem rei veritate ad opinionem provocare licet, hæc autem *hypothesis* vocatur. Jam vero neque idea theologica, neque ulla rationis puræ idea entia concipit quæ, etiamsi fingantur, possibilia tamen habeantur. Itaque has ideas concipere et cogitare possumus, re autem statuere non possumus ; hoc enim esset pronuntiatum arbitrarium ac cæcum. Quod si autem explicare volumus eventa seu phænomena quæ se offerunt, provocare non possumus ad explicandi principia alia atque ea quæ cum rebus et principiis jam datis cohærent. *Transcendentalis aliqua* hypothesis in qua simplex rationis idea ad res naturæ explicandas adhibetur, vera non esset explicatio, hoc enim nihil esset aliud quam parum cognita atque intellecta per ea explicare in quibus nihil prorsus videmus. Ordinem naturæ finiumque coagmentationem naturalibus causis et juxta naturales leges explicari oportet, atque hic hypothesis quælibet vel crassissima, modo tamen physica sit, facilius toleranda est quam hypothesis hyperphysica, id est, quam si ad divinum conditorem provocemus qui ad eam rem sumatur.

Altera autem conditio qua fit hypothesis, ea est ut hæc per se sufficiat ut quæ data sunt effecta, ea a priori constituantur, atque proin aliis hypothesibus in sub-

sidium advocandis non careat. Jam vero hac quoque conditione non minus quam priori excluduntur hypotheses transcendentales. Si, verbi gratia, ut ordinem partiumque convenientiam quæ in mundo sunt explicemus, causam posuerimus absolute perfectam, iterum aliis indigebimus hypothesibus ut anomalias quoque et alia mala explicemus quæ in mundo non minus occurrunt.

Ex his rationibus idem infert iterum Kantius quod jam diximus, posse quidem affirmari Deum, sed ideo tantum ut athei impugnentur, convincanturque id affirmare quod plane nesciunt (1).

Ista Kantii placita in primo critico opere exposita nunc non excutio ; sed ea recta esse fingamus : quo igitur jure potuit in altero opere dicere « intelligentiam aliquam supremam non aliter sumi quam quemdam rerum explicandarum modum ? » At quis posset omnes solvere nodos quos texere et implicare Kantio libet ?

Sed in eodem de *Ratione practica* opere et eo quidem loco quem mox afferebamus, dicit nostrum de Deo morale judicium esse *fidei rationalis ;* fides autem ista statim expendetur ut quæ ad fidem moralem pertineat de qua nunc agendum.

II. Meminit profecto lector quæ, hujus opusculi initio, relata sunt de judicii tribus quos Criticus posuit gradibus : de opinione nempe, fide, et scientia;

1. Crit. rat. part. Method. cap. 1, sect. 3. Barni t. 2, p. 335 et seq.

recordatur quoque, Kantii sententia, nullum in ordine theoretico ac speculativo opinioni locum esse adeoque nullum fidei ; at tamen aliquam fidem nasci posse, si ordo iste *respectu practico* consideretur ; tum practicum hunc respectum duplicem esse : *solertiæ* scilicet et *moralitatis ;* deinde nostram in Deum fidem, quatenus quidem in ordine versatur theoretico, ad solertiam a Kantio relatam esse et *pragmaticæ* aut potius *doctrinalis* fidei nomine esse designatam, ac tandem fidem istam ut quæ natura sua vacillet definitam esse (1).

Sed longe aliam, longe excellentiorem esse Criticus asseverat fidem quæ ex moralitate oritur. *Pragmatica* enim illa fides tum exsistit, cum constituto quopiam fine, nullas ad eum attingendum conditiones quisquam novit alias quam quas adhibet ipse, sed simul persuasum habet meliores forte ab alio conditiones posse inveniri. *Moralis* autem fides validior multo est : quod ita explicat Criticus : « Hic absolute necessarium est ut quidpiam fiat, id est, ut omni ex parte morali legi obediam : scopus ex necessitate est constitutus illaque una et sola, quantum quidem intelligo, conditio est qua possit scopus iste cum universis finibus cohærere, atque ita practicum adipisci valorem, videlicet si sit Deus, vitaque altera. Illud præterea mihi constat nulli omnino esse notas conditiones alias quæ sub morali lege ad eamdem

1. Vid. cap. 1, n° IV.

finium unitatem perducant. Ergo si morale præceptum sit simul mihi vivendi norma (et quidem rem ita agi ratio præcipit), non potero non credere et Deum esse et vitam esse alteram ; certusque sum nulla vi hanc fidem posse labefactari quin simul corruant moralia mea dogmata quibus tamen abdicare me non possem quin mihi ipsi contemnendus viderer (1). » Sic Kantius et quidem, cum nihil sit dogmatibus moralibus aut evidentius aut firmius, illud sequi videtur ut fides quæ inde nascitur iisdem polleat virtutibus. Quid ergo potest excogitari evidentius ac firmius quam illud, esse videlicet Deum et quidem hac illave natura pollentem ? Non aliter utique Criticus pronuntiare deberet. Quin etiam, si sibi ipse consentiret, jam non *fidem* hic adesse diceret sed eam quam vocat *scientiam* : judicium enim tum subjective, tum objective sufficiens est : dogmata namque moralia subjectiva sunt ; dein summum illud bonum quod Deum postulat, res est a mente nequaquam pendens adeoque *objectiva*. Sed a Kantio minime expectare possumus illam sententiarum convenientiam. Oblivisci enim non debemus quod jam monuimus, Kantium res ita inter utramque theologiam temperare et librare ut theologia moralis primum quidem ipsum omni suspicione purget, dein vero in eamdem prope dubitationem in quam ipsa speculativa theologia desinat. Itaque, uti statim ex

1. Crit. rat. pur. Method. cap. 2, sect. 3. Barni, t. 2, p. 385-6.

ipsis Kantii explicationibus patebit, non tanta est inter fidem *pragmaticam* vel *doctrinalem* fidemque *moralem* differentia quantam ipse in speciem prædicat ; ubi enim de fide doctrinali agit, unitatem (1) finium ait unam esse conditionem qua possit in natura investiganda humana ratio sese exserere, huic autem ipsi unitati conditionem illam unam esse si ponatur suprema quæpiam atque artifex Intelligentia. Sed quid de fide morali ? Hic ex necessitate finis est constitutus, nempe ut morali legi obediam, et quantum ego ac cæteri norunt, una est conditio qua finis iste cum cæteris conjunctis finibus convenire possit, nempe si sit Deus vitaque altera (2). Nunc rogo in quo duplex hoc fidei genus differat ? ibi, finis est, uti Kantius ait ipse, contingens, hic autem finis est necessarius id est moraliter ligans ; sed animadvertamus distinctionem istam non ita firmam esse, cum moralem obligationem violare pro libitu valeam. Deinde, ibi Kantius ait nullam aliam sibi notam esse conditionem nisi ut sit Intelligentia suprema ; hic autem ait nec sibi nec cæteris alias esse notas conditiones nisi ut sit Deus vitaque altera. Videt utique lector nihil in istis adeo differre.

III. Sed alia sponte Kantius suppeditat animadvertenda : cum enim sensim pedetentimque velit ille moralem quoque fidem imminuere et quasi deprimere, jam in citatis modo verbis ipsa debilitat mo-

1. Ibid., p. 384.
2. Ibid., p. 385-6.

ralia dogmata : dicit enim firmam apud me fore fidem « si morale præceptum sit mihi agendi norma ». Sed qualemcumque agendi normam ego fuero amplexus, idem, ut opinor, ejusdemque virtutis permanebit morale præceptum ; ac proinde morale argumentum, modo utique rectum sit, minime a factis hujus illiusve hominis pendere potest. Sed his ne immoremur : ecce enim alia graviora Kantius nobis dicet quæque apertius ejus mentem declarabunt ; illa enim scribit: « Hæc cum ita sint, quamvis corruant superbæ illæ contentiones ejus rationis quæ extra cujuslibet experientiæ terminos vagando prosilit, nobis tamen superest quod sufficit ut, respectu practico, nobismet ipsi satisfaciamus. Nemo utique illud sibi arrogare potest quod *scit Deum esse vitamque alteram :* quandoquidem si hoc vir quispiam scit, hic ille ipse est quem jamdiu quæro. Omnis *scientia* (quæ quidem rem attingit rationi puræ subjectam) cum aliis potest communicari, ac proinde illius viri præceptione atque institutione miro modo dilatatum iri scientiam meam sperare possum. Sed nihil simile ; persuasio enim hic in certitudine versatur non illa quidem logica sed morali, et quum subjectivis causis innitatur (affectu nempe morali), ne dicendum quidem illud erit : *moraliter certum est Deum esse*, sed potius : *equidem moraliter certus sum*. Quo significatur fidem in Deum vitamque alteram cum meis moralibus affectibus ita esse conjunctam ut non magis timeam ne fidem istam amittam quam

ne isti animi affectus unquam mihi eripiantur (1). »

Ita Kantius ; nihilo tamen minus ego asseverabo, si morale ejus argumentum valeret, nostrum de Deo judicium non fidem sed scientiam fore ; hic videlicet verbis pro ipsius Kantii more utimur ; illa enim probatio, uti apud eum legitur, non *subjective* tantum sed *objective* quoque sufficiens est ac proin *scientiam* generat qualem definit Kantius ; non enim ille, uti quidam faciunt, scientiæ nomen ei soli cognoscendi generi reservat quam *cognitionem intuitivam* ego vocavi (2).

Sed isto loco novum aliquid prompsit Kantius quod sedulo expendendum est ; non adest hic, inquit, certitudo *logica* sed *moralis*. Certitudo logica erit, opinor, ea quæ scientiæ respondet ; quod nisi ejusmodi sit, quid esse possit non video. Quid autem illa certitudo moralis ? Scio quid hæc valeat in consueto omnium sermone : nempe certitudo illa est quam, licet plena non sit, *de more* uti sufficientem homines habent. Sed ejusmodi definitio cum moralibus præceptis cumque tota Kantii probatione morali minime quadrat : adeo ut Criticus, quandoquidem moralem tantum certitudinem ex sua morali probatione expromit, aut isti certitudini vim insufficientem a se tributam confiteri, aut probationem moralem deserere cogatur. Sed si deserit probationem moralem, jam deserit quod et tanquam proprium inventum et tan-

1. Ibid. p. 386.
2. Vid. cap. 1, nº III.

quam universæ suæ doctrinæ insigne antea jactabat ; cogitur quoque in theologiam mere speculativam, inque fidem ex ea manantem, fidem nempe mere pragmaticam recidere ; hæc autem explicatio quum probabilis minime sit, restat ut dicamus a Kantio multum minui certitudinem ex morali probatione manantem, quia videlicet eo collineat ut in theologia morali velut in speculativa de Deo dubitemus.

IV. Aliud quoque in ultimis Critici verbis notare debeo quod jam ipse forte lector animadvertit, illum videlicet nunc primum non ad moralia dogmata sed ad morales affectus provocare tanquam ad principium fontemque totius argumentationis. Atqui novum, credo, illud signum est jam labare moralem illam fidem ; quia affectus animi, qualescumque demum fuerint, neque judicia neque dogmata sunt, nec per se in ullo cognoscendi genere, ulli certitudini fundamentum præbere valent. Cæterum, etsi nunc primum Criticus moralibus dogmatis affectus morales sufficit, non hoc fecit imprudens, atque ipse optime vidit quid inde sequeretur, nempe quam minueretur moralis fidei robur. Judicet autem lector num sit hoc philosophi gravitate dignum : tantum enim abest ut rationem aliquam nobis Kantius afferat quare ita morales affectus nec opinato inducat, ut perinde loquatur ac si istos affectus per totam moralem theologiam nobis inculcasset, scilicet dolere videtur propter theologica incommoda quæ ex moralibus his affectibus, quatenus sunt meri affectus, manant, sed utique ex judiciis

moralibus minime manabant ; sic enim scribit : « Una est quæ hac in re occurrit difficultas ; videlicet rationalis illa fides in eo reponitur quod morales adesse affectus præsumimus. Hos si non præsumamus, fingamus vero hominem quem moralis legis amor non tangat, tum quæstio hæc quam movet ratio ad *meram speculationem* tota refertur ; et quamvis firmis ex analogia petitis rationibus quæstio fulciri possit, non tamen iis rationibus fulcitur quibus pertinacissima dubitatio cedere cogatur (1). »

Hanc laudem hic utique debitam Kantio dabo quod non ista semper perspicuitate loquitur. Ergo si forte occurrat homo moralium affectuum expers, statim graviter labefactatur illa jampridem nuntiata tantoque apparatu exposita probatio moralis, infirmaque fit ex ea nata fides. Quis hoc ferat non ex morali dogmate, fixa nempe re atque immutabili, sed ex affectu, mobilissima nempe re et per se cæca, argumentum peti ? Inde sequitur ut nobis Deus idem sit quod omnis res desiderata : atqui satis superque novimus quam sæpe ejusmodi res nihil nisi vanæ sint mentis imagines. Fingit tamen Kantius non adeo dolenda ex suis verbis sequi ; itaque si ipsi credimus, in homine moralem legem non amante, quæstio de Deo ad quæstionem mere speculativam redigitur (2) ; equidem hic non clare video quid Kantius intelligat, non video fiatne speculativa quæstio sed morali ta—

1. Crit. rat. pur. Method. cap. 2, sect. 3. Barni, t. 2, p. 387
2. Ibid.

men legi innixa, an plane recidat in illam mere speculativam theologiam quæ, judice Kantio, tam invalida est. Sed parum refert, opinor, uter sensus eligatur : siquidem nihil ex alterutra parte ad solvendam quæstionem suppetit, sententia Kantii, nisi rationes ex analogia petitæ (1). Quæ sit ista analogia difficile mihi est conjicere, sed nihil in hoc potest novi esse, quandoquidem nihil ad explicandum addit auctor. Illud itaque fixum restat fidem illam quæ rationalis vocatur, mobilibus tamen affectibus fulciri, atque ex affectibus crescere vel decrescere.

Sed hic nova surgit, si recte judico, sententiarum in Kantio pugna ; dolet quod istæ rationes ex analogia petitæ, quas equidem non novi sed quæ infirmæ utique sunt, pertinacem dubitationem vincere non valeant. En ergo diligentissimus ac severissimus criticus, en asperrimus dogmaticæ philosophiæ censor correctorque, qui id a nobis expetere videatur ut propter infirma argumenta omnem expellamus dubitationem, nisi pertinacissimi σκεπτικοὶ esse velimus! Sed si ita sentit, illud quoque cupere debet ut infirma esse argumenta ne videamus, quia, si hoc semel videmus, jam certissimi esse non possumus, et jam pertinaces, quamvis dubitemus, non sumus, quia vim naturæ dubitando tunc sequimur.

Cæterum Kantius, solatii forte gratia, docet nos et vix posse quemquam reperiri qui moralis legis amans natura non sit, et eum qui tam male esset compa-

1. Ibid.

ratus, aliis tamen certo tactum iri affectibus qui illum eo impellent ut in Deum aliquo modo credat: « Etiam si quis, ait ille, morali invitamento non tangeretur, divinam tamen aliquam naturam vitamque alteram non timere non posset. Ad hanc enim rem illud sufficit, quod non potest illa duo uti certa ostendere « neque Deum esse neque vitam alteram » ; quæ quidem duo si certa esse efficere vellet « illud ei opus esset ut, quandoquidem ratione pura, id est, apodictice res hic probanda est, utrumque esse non posse pervinceret: hoc autem nemo sanæ mentis unquam aggredietur. Ea negativa fides foret quæ, quamvis neque moralitatem neque probos affectus gigneret, aliquid tamen simile efficeret, id est, pravos affectus, ne erumperent, coerceret (1). »

V. Ita Kantius : ego autem jam non rogo quod ante rogavi, nempe ubinam sit tanta illa inter utramque theologiam differentia ! Jam enim non video, si moralis fides in hæc tam infirma decidere queat, qua ex parte *pragmaticam fidem* superet quam adeo debilem Kantius modo dicebat. Quod si Kantius illud erat passurus ut moralis theologia in certitudinem non *logicam* sed mere *moralem*, inque fidem mere *negativam* desineret, non erat sane cur eam tantopere prædicaret ; non erat præsertim cur Criticus speculativam theologiam tam deprimeret, theologiam vero moralem tam extolleret quæ, judice ipso, non plus

1. Ibid.

habeat firmitatis. Quæ cum ita sint, nonne errare pronuntiabimus eos qui magno numero Kantium quasi secum in theologia pugnet arguant aut laudent? Sed, quantum ego video, non ibi sunt apud Kantium veræ intolerandæque sententiarum pugnæ ubi esse dicuntur. Pauci sunt qui illum tanquam de primis humanæ rationis axiomatibus misere a se ipso dissentientem postularint : multi, contra, judicarunt ejus moralem theologiam theologiæ speculativæ aperta fronte adversari, atque adeo ipsi sunt gratulati quod præcipua dogmata, animi nempe liberum arbitrium et immortalitatem Deique veritatem in speculativa theologia ab ipso primum labefactata, in morali deinde theologia restituerit. Sed hoc in speciem tantum verum est : ut enim afferendo verba et expendendo jam comprobavi, utraque ejus theologia pariter incertam suspensamque illam quæstionem relinquit utrum sint necne tria illa : *Deus et animi libertas atque immortalitas*. Quis ergo neget utramque Kantii theologiam, etsi in principiis dissentiant, in exitu tamen prorsus convenire, neque aliud quidquam stabilire præter dubitationem ?

Faciamne hic animadvertendi finem? Equidem ita cuperem ; sed verbum addam necesse est dicamque Kantium ad extremum usque curam quasi habere ut verus Proteus sit, perpetuo varians, in aliumque se transformans. Hic autem quid simile agit? Postquam videt moralem in Deum fidem prope evanuisse, si tamen genus humanum pravis ejus conclusionibus

obsequi vellet aut posset, postqnam in mentes nostras pro ea firmissima fide quæ natura inhæret, dubitationem sub fidei nomine intrudere conatus est, perpetratum a se facinus dissimulat, fingitque, contra, firmissimam illam humani generis fidem a se agnitam, et via ac ratione confirmatam esse, doletque quod ratio pura nihil majus efficere possit ; verba audi : « Dicet autem quispiam : hæccine omnia sunt quæ ratio pura efficit, ubi ultra experientiæ terminos prospectum intendit? Nihil nisi fidei articulos? Tantumdem intelligentia omnium communis efficere potuisset, et quidem philosophos ea de re minime consulendo (1). » Quis unquam credat adeo Kantium sibimet ipsi fucum fecisse ut persuasum haberet voces istas *articulum fidei*, tum in sua theologia, tum in generis humani mente idem valere ? In Kantio satis scimus quam futilem rem dicant ; in hominum vero mentibus summam significant certitudinem. Igitur omnino veræ erunt istæ Kantii voces, modo a præcedentibus separentur, atque ipse concedat et firmissimam esse humani generis fidem, et philosophiæ illam esse efficaciam ut naturali rationis humanæ judicio vim lucemque afferat majorem.

Quæ cum ita sint, quis non fateatur Kantium, uti affirmavi, ne vera constansque inter utramque suam theologiam pugna videretur, omnia esse conatum ut fidem moralem sensim minueret, et usque ad specula-

1. Ibid. Barni, t. 2, p. 388.

tivæ theologiæ fidem quæ tam incerta est, deprimeret?

Hic vero jure quispiam quærat, quum Kantii verba ex solo primo opere critico deprompta modo expenderim, perstiteritne ille in ea docenda fide quam vidimus. Quæstioni huic ut respondeam, aliquot locos ex *Critica judicii* excerptos jam affero ; et primo quidem postquam Kantius morale argumentum jam alibi relatum exposuit, ita de illo censet ipse : « Hoc argumentum morale nullam debet quæ objective valeat rationem pro exsistentia Dei suppeditare neque Deum esse dubitanter credenti evincere, sed monere ut si moraliter velit cum constantia *cogitare*, eum sumptionem hujus enunciati oporteat ad normas recipere rationis suæ practicæ. Argumentum est subjectivum, naturis moralibus idoneum (1). » Videt, credo, lector, nihil in Kantio immutatum ; sed audiamus illa quoque verba : « Atque hujus quidem argumenti non ea vis est ac si perinde necessaria sit exsistentia Dei sumenda ac valor legis moralis agnoscendus; proinde is qui nequeat sibi *de hoc posteriori* (2) persuadere, etiam *non* (3) possit ab obligationibus *ex illa superiori* (4) liberum sese judicare. Minime ; solum... felicitas naturarum rationalium mitti deberet (5). » Hæc ad id sufficiunt ut jam non miretur

1. Ita Born, vol. III. Critic., judic. Method. § 87 in nota. Barni, ibid. § 86, p. 168, note.
2. Legas potius : de illo superiori.
3. Expungas : non.
4. Legas potius : ex hoc posteriori.
5. Ita Born, ibid., § 87. Barni, ibid, § 86, p 169.

lector si Kantius dicat infirmam esse fidem qua Deum esse credimus ; sed dicentem tamen audiamus : « Rerum cognoscibilium, inquit, triplex genus est et opinabile et scibile et mere credibile... Res respectu debiti rationis practicæ usus... ex anticipatione cogitandæ sed usui illius theoretico transcendentes res sunt mere credibiles. Cujus summum in mundo bonum est per libertatem comparandum... Hoc effectum præceptum atque imperatum cum conditionibus unis solisque possibilitatis nobis *cogitabilibus*, nempe exsistentia Dei atque animorum immortalitate, *res fidei sunt*... Adsensus in rebus fidei, adsensus est respectu pure practico, hoc est *fides moralis* quæ nihil in usum cognitionis rationalis puræ theoreticæ, sed solum practicæ probat (1). » Ecce itaque iterum occurimus morali illi fidei de qua multa disseruimus quæque, Kantio volente et definiente, omnino infirma est.

Sed liber iste ad extrema Kantii tempora nondum pertingit : quid ergo in libris posterioribus? Librum adeo cui titulus : *Religio intra terminos solius rationis*, atque ibi quædam lego cum iis quæ jam vidimus plane convenientia : « Religio cernitur in cognitione omnium officiorum nostrorum ut præceptorum divinorum (2). » In alio scriptore quis non firmam in

1. Ita vertit Born, Method., § 91. Barni, ibid., § 90, p. 199, 201, 202, 203.
2. Ita vertit Born, cap. 4, part. 1, p. 501. Trad. Trullard, 4ᵉ part., ch. 1, p. 271.

Deum fidem his verbis declarari merito crediderit? Kantius autem nos ne ita existimemus illo addito commentario monet : « Hac definitione multis vitiosis interpretationibus conceptus de religione in genere præcavetur. Primo quod in ea, quantum ad cognitionem theoreticam attinet confessionemque, nulla scientia adsertoria (ne ipsius quidem exsistentiæ Dei) postulatur... sed tantummodo sumptio problematica (hypothesis) (1). » Hæc autem quis unquam scripsit, nisi qui Deum esse vel dubitaret vel dubitare videri vellet?

Sed progrediamur in Kantii vita et majora istis inveniemus : ecce enim in libro cui titulus. *Initia metaphysica Ethices* (2) eamdem Religionis definitionem commentario illustrat significantiori : « *Formale* religionis omnis, inquit, pro complexu omnium officiorum instar præceptorum divinorum acceptæ, ad philosophiam moralem pertinet propter quod eo nonnisi relatio rationis ad ideam de Deo, quam sibi ipsa obeat, enuntiatur, *officiorum* que (3) religionis tum nondum sit officium *erga* Deum ut naturam extra ideam nostram vere exstantem; siquidem in ea ab exsistentia illius adhuc nobis temperamus... Non possumus obligationem... commode sub adspectum nobis subjicere nisi quempiam alium ejusque voluntatem... quippe Deum in *eo* (4) cogitemus... Sed hoc officium res-

1. Ibid., in *nota*.
2. Ita vertit Born, vol. IV. Barni habet : *Doctrine de la vertu*
3. Lege : *officium*.
4. Lege : *ea*.

pectu Dei proprie ideæ quam nobis de ejusmodi natura cogitatione informamus, officium est hominis erga seipsum (1). » Hic ergo Kantius jam nullam ullius fidei vel vacillantis mentionem, ut olim, facit; *ideam tantummodo Dei* commemorat; atqui ejusmodi est, uti satis novimus, apud Criticum ea quæ idea vocatur, ut prorsus dubitare cogamur utrum aliquid in natura rerum illi respondeat necne. Ne igitur miremur si nobis dicit Kantius religionem illam suam divinaque illa sua præcepta cum rebus quæ vere extra mentem nostram sint minime conjungi, sed in nostra tantum mente versari, ac proinde officia illa nostra non esse officia erga Deum qui forte non sit, sed ad meram Dei ideam referri, et siquidem hæc idea nonnisi in nostra mente vigeat, hominis esse erga seipsum officia. Vis tandem probe scire quid sit nobis Deus quamve nobis habeat vim? Viva quædam est prosopopœa qua rationem practicam imperia sua nobis edicentem sub nostrum quasi adspectum commode ponimus.

Quæ cum ita sint, nonne jure diximus Kantium utramque suam theologiam iisdem fere verbis absolvere potuisse quæ olim usurpavit Protagoras : « De diis neque ut sint neque ut non sint habeo dicere (2). » Hic tamen erit fortasse qui mihi succenseat quasi modestissimum et rectissimum virum Protagoræ so-

1. Ita Born, vol. IV, p. 815. Videatur Barni : *Conclusion*.
2. Cicero, De natur. Deor., lib. I, c. 23.

phistæ comparans probro afficiam ; sed parcat ille mihi oro, quando quidem Kantius ipse in hoc eodem libro, ultimis videlicet vitæ annis, a Protagora, quatenus iste philosophabatur, stare se professus est eumque adversus judices defendit ; illa enim scripsit : « Protagoras Abderites librum sic exorsus est : « De Diis neque ut sint neque ut non sint habeo dicere. » Quapropter ab Atheniensibus urbe prædioque pulsus est, ejusque libri coram cœtu publico combusti (1). In quo quidem judices Atheniensium, ut homines quidem, erga illum valde injusti fuere ; verum ut ministri publici et judices, juste se sane et convenienter gessere : quomodo enim dicere jusjurandum potuissent nisi publice ac legaliter a summo magistratu (de par le Sénat) (2) jussum foret : ut dii sint... (3). » Quibus Kantii verbis quid clarius optari potest?

Cæterum præter omnia quæ jam attuli ut infirmam esse, ipso Kantio judice, moralem theologiam fidemque ex ea natam vacillantem esse ostenderem, illud, credo, vim habet præcipuam quod Criticus optime videbat, etsi nusquam aperte dixit, theologiam hanc labanti fundamento a se imponi. Sed quare ita labans sit hoc fundamentum, jam, omisso Kantio, quærendum mihi est.

1. Quintil. Inst. orat. l. 3, c. 1.
2. Gallica hæc Born habet.
3. Ita Born, vol. IV, p. 815. Videatur Barni, *Conclusion*.

CAPUT QUARTUM.

CONFUTATUR MORALIS KANTII THEOLOGIA, VERAQUE THEOLOGIA PAUCIS ADUMBRATUR.

Altera nunc laboris mei pars est aggredienda et postquam diu satis interpretem explicatoremque egi, judicem quoque, ut initio promisi, agere debeo. Neque hac in re magno Kantii nomine nimis movebor : existimant videlicet aliqui standum esse iis quæ vir ille edixit qui totum philosophiæ ambitum animo complexus, tam subtili acumine falsa et dubia a veris et certis discrevit, tantaque fortitudine humanum genus admonuit ne vanas suæ mentis imagines, ne dulces naturæ suæ impetus pro veritate proque rebus extra mentem positis acciperet. Sed, ut libere quod sentio dicam, puto ego satis inania esse non pauca eorum quæ Kantius nova intulit, puto humanam intelligentiam male ab ipso descriptam et judicatam ; puto denique, ut in subjecta nunc materia me contineam, perperam ab ipso inductam theologiam illam *mere atque unice moralem* eamque omnibus prope reprehensionibus dignissimam esse

quibus ipse speculativam theologiam tam inique exagitavit.

Velim autem intelligat lector quonam modo hic a Kantio dissentiam : ego enim et ille theologiam moralem parum validam fatemur esse ; ille autem eam esse unam contendit quam criticum judicium non prorsus dissipet ; ego contra et moralem Kantii theologiam et aliam quamlibet quæ a lege morali ducatur, non theologiam esse per se consistentem judico, sed partem et quasi elementum ejus theologiæ quæ omnibus sit absoluta numeris adeoque integra et, me judice unica sit. Itaque postquam monstravero Kantium immerito, cæteris rejectis, moralem suam theologiam intrusisse et tantis laudibus prædicasse, ostendere non dubitabo idem sentiendum esse de alia qualibet theologia morali, quatenus videlicet per se sola spectabitur.

Hic vero lectorem monitum volo quo sim loco in hac disputatione constitutus, quæve pericula vitare religioni habeam. Imprimis quidem timendum mihi est ne, si argumenta quælibet ex lege morali ducta parum valida esse disputavero, theologica universim argumenta pro libitu contemnere et tollere multis hominibus videar. Quibus statim respondeo quæstionem hic a me considerari qualem Kantius ponit, ita scilicet ut in nullo habeantur numero ea quæ a speculativa ratione ducuntur quæque a quolibet homine vel indoctissimo, subobscure fortasse, vere tamen et quasi sponte mente informantur. Quid

mirum si humana ratio ita ex Kantii arbitrio manca, jam nulla reperit plene valentia argumenta quibus Deum esse firmet ?

Præterea eosdem homines oro ut animadvertant aliud periculum mihi declinandum esse : si enim omnia argumenta quæ sat magno numero circumferri solent, nullo delectu recepero, dubium non est nonnullos fore, et eos quidem religionis vel naturalis parum amantes, qui ea ad rationem quasi obrussam exigant, et, ubi hoc illudve parum validum compererint, inclament philosophos, nonnisi vanis fundamentis innixos dogmata sua jactare. Porro, cum eum esse me profitear qui naturalis non solum religionis sed catholicæ quoque fidei servantissimus studiosissimusque sim, totis viribus cavere debeo ne istos superbioris forte judicii homines offendam. Audio enim Beatum Augustinum gravissimis verbis christianos scriptores increpantem, si forte in Scripturis Sacris invenire se acriter contendant ea quæ docti homnies et a fide catholica alieni, rationi vel experientiæ contraria esse prorsus noverint (1).

Ita quoque sentit Divus Thomas, cum monet secernenda quæ ad catholicam fidem quæque ad humanam scientiam pertinent, « ne forte aliquis, inquit, quod fidei est demonstrare præsumens, rationes non necessarias inducat, quæ præbeant materiam irridendi Infidelibus existimantibus nos propter hujusmodi ra-

1. De genes. ad litt., l. 1, c. 20.

tiones credere quæ fidei sunt (1). » His exemplis, his præceptis fretus, reprehendere non dubitabo, si quid, tum in moralibus, tum in aliis argumentis, reprehensione dignum mihi videbitur. Sed postquam ita critici munus exercuero, dogmaticus fiam, et certam argumentandi formam delineabo quæ, quamvis nihil novi afferat, quod quidem vix fieri posse credo, hoc tamen excellet quod cætera fere argumenta ac moralia præsertim, uno fortasse Anselmiano excepto, non solum facillime in se admittet ac recipiet, verum etiam uti necessaria sibi advocabit, eaque in unam quasi compagem ordinata exhibebit.

Illa igitur sunt quæ persequar ut lucubrationem hanc ad finem perducam:

Primo, morale Kantii argumentum non ita valere ostendam ut Deum esse prorsus efficiat.

Dein probabo morales rationes non magis quam speculativas prodesse ut qualis sit Deus definiamus.

Tertio denique, postquam moralem quamlibet theologiam sibi non sufficere disputavero, tum certam argumentandi formulam delineabo cætera argumenta complectentem quibus recta via Deum attingimus.

1. Summ. theol., 1 p. q. 46, art. 2.

ARTICULUS PRIMUS.

Confutatur kantius qui solo argumento morali deum esse efficere vult.

I Expendamus igitur primam longeque præcipuam quæ in Kantii argumentatione occurrit propositionem; atque illud diligentissime curemus ne inter disserendum Deo quasi jam cognito jamque recepto utamur; quod quidem, quamvis omnino fiat contra disserendi leges, ubi nempe hoc ipsum contendimus ut Deum esse pervincamus, nihilo tamen minus sæpe fit a nobis, et, dum quærere Deum videmur, illum judicio præsumimus, et quæcumque huic veritati consequuntur ea statuimus, ea usurpamus.

Quid ergo primum Kantius affirmat? « Habet, inquit, unusquisque cur speret felicitatem pro rata portione sibi adventuram qua se illa dignum factis suis reddiderit (1). » Statim hic aliquid Kantium rogabo: si Deum esse nescimus, qualem felicitatem, ut plurimum, mente concipiemus, vel certe sperabimus? Nullam utique, nisi hanc qua tum nosmetipsos, tum alios frui videmus, qua videlicet conscientia bonorum factorum gaudemus, et ab aliis probi reputamur, prosperamque in cæteris rebus

1. Crit. rat. pur. Method. cap. 2, sect. 2. Barni, t. 2, p. 369.

vitam ducimus. Aqui ejusmodi felicitas, cum et a nobis ipsis et ab aliis hominibus, et a corporea natura hujusque legibus tota efficiatur, quomodo nos eo adiget ut Deum aliquem fateamur ? Ipse Kantius, in hoc quidem propriæ causæ vel voluntarius vel involuntarius inimicus illa scripsit : « Ea rerum constitutio in qua humana libertas se ipsa remuneraretur, non potest ad effectum perduci *nisi ea lege ut quod quisque debeat hoc agat* (1). » Criticus ergo fatetur homines felicitatem virtuti congruam quadamtenus parare sibi posse. Non ergo disserendi legibus obtemperat, cum ista via Deum esse firmare conatur. Sed quid faceret ? Vult qualicumque modo Deum illum ponere quem sola speculativa ratione inveniri non posse pro libitu excogitavit.

At enim corporea natura ejusque cursus, ut alia omittantur, minime ab humana voluntate pendent atque inde multa felicitati contraria profluunt ! Quid tum ? Malum est illud tot tantisque aliis malis annumerandum ; sed ista, si per se considerentur, minime evincunt esse Deum.

Dices quoque res melius fore, nostrosque animos magis erigendos, si, uti vult Kantius, sperare possimus felicitatem virtuti nostræ pro rata portione redditum iri. Hoc quis negaverit ? Sed ubi aut quando vota nostra pro argumentis valuere ? Quis non satis superque expertus novit votis desideriisque nostris

1. Ibid. Barni, p. 370.

res sæpe deesse ? Non ergo ex eo quod Kantius cæterique summum bonum vocant, virtutem nempe cum suis præmiis conjunctam, erui potest argumentum Deum esse efficiens : sed contra, ut credamus, ut speremus summum aliquando bonum nobis adventurum, jam ante Deum esse credere debemus qui virtuti præmia reddat debita. Nisi ergo Deum esse prius quis probaverit, de summo bono loqui potest ut re concepta et desiderata, non autem ut re prudenter speranda : scilicet si nulla suprema potestas omnia regit, qui fieri possit ut cæcus naturæ cursus unicuique felicitatem pro merito afferat ?

II. Nec magis proficies, si dixeris rationem practicam necessaria, incommutabilia, æterna judicia pronuntiare, eam autem pronuntiare virtutem pari felicitate dignam esse ! Animadverte, quæso, quid ipse dicas : *dignam felicitate virtutem* pronuntiat ratio practica, ea nempe quæ itidem pronuntiat virtutem coli oportere ; sed non dicit *felicitate virtutem donatum iri ;* quod tamen hic a nobis unum quæritur. Ratio practica, qua talis est, nihil aliud nisi has illasve actiones liberas quas conscientia illi offert, morali nota quasi signat ; sed nequaquam docet nos quid extra mentem nostram tota in rerum natura versetur, nec quidquam videt in omnibus causis unde felicitas oriri potest, nec proinde speculativæ rationi quidquam suppeditat unde hæc judicio necessario pronuntiet virtutem felicitate aliquando donatum iri. Omnino igitur ruit Kantii argumentationis funda-

mentum ac proin ipsa argumentatio tota collabitur neque id perfecit Criticus ut propositio hæc « Deus est » postulatum esse ostenderetur, videlicet propositio theoretica quidem, quæque, cum non possit, quatenus talis est, argumentis rite probari, legi tamen quæ a priori et absolute obliget sit inseparabiliter connexa.

Vide interim ut pro arbitrio necessarias disserendi leges fingere vellet Kantius : ut enim alia multa omittam a scepticis petita, sed quæ theologiæ propria non sunt, sexcenties Criticus antea pronuntiaverat causalitatis axioma, si extra experientiam provehatur, non solum incertum sed nullius etiam sensus esse : quo quidem placito fretus, tot tantaque de rebus altioribus negat. Attamen axioma hoc rebus quæ vere sunt totum innititur ; videlicet ab homine, a mundo isto proficiscitur, ut pronuntiet universa hæc, si esse cœperunt, nonnisi per causam efficientem esse aliquando cœpisse. Nunc autem aliquid invenit Kantius in quo, quod quidem ubique repetit, videt *realitatem objectivam* (1). Sed quid tandem illud est ? Nihil aliud quam leges morales seu ea rationis puræ pronuntiata quæ definiunt non quod est, sed quod esse debet, sed quod per liberum hominis arbitrium possibile est, quodque ideo sæpe non est, etsi semper esse deberet ! En quod Criticus pro solido fundamento nunc habet, qui paulo ante quæ omnino et re-

1. Ibid, p. 368-9.

vera sunt, tanto fastidio rejiciebat. Quomodo autem ea quæ tam non esse quam esse possunt, nostras de iis quæ absolute sunt cognitiones dilatabunt ? Nihil vanius excogitari posset.

III. Invenio tamen aliquid apud Kantium quod forte nos movere valeat : « Postulata rationis practicæ, inquit, non ad aliquem speculationis arbitrarium finem usurpantur, sed ad finem practice necessarium voluntatis rationalis et quidem puræ ; hæc autem nihil eligit sed inflexibili rationis jusso obtemperat, cujus fundamentum constitutum est *objective* in rerum natura, quatenus istæ res universim judicari debent, non autem in aliqua animi propensione ; quod enim pertinet ad res quas propter causas mere *subjectivas* optamus, propensio nostra nequaquam nobis illam confert potestatem ut vel possibilem reputemus viam qua eas consequamur, vel etiam istas res tanquam vere in natura sitas judicemus (1). » Hocce modo Kantius felicitatem virtuti congruentem ab alia felicitate distinguere conatur, ita ut per priorem illam esse Deum probare aggrediatur. Et quidem fateor rationem hanc dignam videri quæ perpendatur. Principio igitur observemus illud rationis jussum quod tantopere Kantius prædicat, non proprie ad felicitatem neque ad ullum felicitatis auctorem pertinere, sed tantum ad facta nostra, et quidem non ita ut definiat qualia sint futura, sed qualia esse de-

1. Crit. rat. pract. Dial., cap. 2, n° VIII. Barni, p. 363.

beant. Ergo ut pervincat ille virtuti congruam felicitatem certo redditum iri, etsi in præsentia non adsit, aliud auxilium appellare debet quam practicæ rationis jussum quod a libero hominis arbitrio tam facile infringitur. Præterea falsa est illa duplicis felicitatis distinctio quam Kantius inducit : felicitatem enim universim consideratam ex naturæ necessitate optamus, sive fuerit sive non fuerit virtutis præmium ; causæ autem quare eam optemus, *subjectivæ* non esse non possunt quia non aliæ sunt quam ipsa hominis natura. Totum ergo ad hoc redit quod et felicitatem natura concupiscimus et felicitate dignam esse virtutem ratio practica pronuntiat ; ita ut restet illud summi momenti probandum, virtuti eam felicitatem qua digna sit redditum iri ; hoc autem nunquam Kantius evincet quin prius Deum esse plene agnoverit.

IV. Cæterum, vix equidem crediderim moralem hanc probationem Kantio ipsi fucum unquam fecisse : sed hic Kantii intererat animos percellere speculativæque theologiæ imbecillitati firmitatem opponere aliunde petitam. Sed ubi ipse ad vivum rem resecuit voluitque ostendere totam theologiam fundamento carere solido, optime indicavit quid valeat moralis hæc probatio : « Hoc loco, inquit, finis præstitutus, nempe ut omni ex parte morali legi obediam, est ex necessitate constitutus, unaque est, quantum ego nosse possum, conditio qua possit finis iste cum reliquis finibus universis cohærere, atque ita practicum valorem recipere, videlicet si sit aliquis Deus vitaque altera ; certus quoque ego sum nemini hominum notas esse alias conditiones quæ ad eam finium unitatem sub lege morali ducant (1). »

Hæc ut recte judicemus, sedulo animadvertamus Kantium, ubi sic ratiocinatur nondum scire utrum sit Deus necne, ac proinde Deo quasi certo uti in disserendo non posse. Ait autem Deum solam esse conditionem qua possit finis ille qui in morali lege observanda versatur cum cæteris finibus cohærere. Esto ! Quid vero postea ? Omnino nihil sequitur nisi ut, si nullus Deus sit, nunquam fines illi cohæreant. Probet autem Kantius certo fore ut aliquando cohæreant : hoc utique negant omnes qui theistæ non sunt, quocumque sub nomine recensentur. Ego certe nunquam istud probare aggrediar quin prius alia via aliaque ratione Deum esse posuerim, atque hunc tantum disserendi ordinem rectum esse judico. Vide quoque illud Kantii : « una est illa conditio, quantum ego novi, et certus sum nullam aliam cuiquam notam esse. » Num sic loquitur qui suæ probationi vim inesse videt ? In solida enim probatione non illud quæritur quid ego, quid alii noscant, sed quid re ipsa sit, quidque omnes agnoscere debeant.

Absit tamen ut contendam nihil per istam moralitatis felicitatisque conjunctionem in theologia effici posse : ubi enim quis congrua ratione Deum esse

1. Crit. rat. pur. Method. cap. 2, sect. 3. Barni, t. 2, p. 386.

monstravit, monstrat eumdem Deum esse qui virtutem justis præmiis remuneretur quique hominis vota his in terris nunquam satianda, altera in vita cumulate tandem expleat. Sed conciliantur illustranturque rationibus ejusmodi dogmata jam constituta, minime vero primum constitui possunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

Confutatur Kantii doctrina de determinando ex ordine morali Deo.

1. Uti jam novit lector, Kantius non solum morali argumento Deum esse ostendere voluit sed ex toto morali ordine ejus naturam commodissime determinari asseveravit. De hoc quid judicandum? Statim initio profiteor, ut omnis de verbo lis amoveatur, legem moralem adeoque omnia quæ ad moralitatem in nobis pertinent, ad id plurimum prodesse ut qualis sit Deus definiamus. Satis enim patet nunquam futurum fuisse ut moralia prædicata sanctitatis, æquitatis, benignitatis aliaque similia, supremæ omnium causæ tribueremus, nisi prius per conscientiæ experientiam aliquam eorum formam in nobismetipsis deprehendissemus. Sed minime de hoc inter Kantium et alios philosophos certatur : ille enim hoc loco moralia Dei prædicata non tangit, imo ne nominat quidem, sed per totum moralis ordinis

complexum illa Dei prædicata ostensurum se confidit quæ metaphysica in scholis nuncupantur. Ego quidem satis ad hoc valere moralem ordinem minime nego, illud nego ordinem moralem ordine naturæ aptiorem esse ad ea quæ Criticus vult consequi.

Quis enim, verbi gratia, nisi ad libitum omnia fingere velit, ex animo dicat non esse in naturæ ordine tantas quantæ sunt in ordine morali causas cur Deum unicum esse judicemus? Sic quidem loquitur ille : « Nihil in theologia transcendentali vel naturali..... sufficiens quidem invenimus quare unum tantummodo ens sumamus quod universis causis naturalibus dominetur, easque omni ex parte pro arbitrio regat. Contra, cum respiciendo unitatem moralem tanquam necessariam mundi legem, anquirimus solam eam causam, qua efficiente, et possit ea lex omnia perficere ad quæ perficienda nata est, et proin vim adipiscatur qua homines obliget, tunc eam esse oportere perspicimus in voluntate unica supremaque, quæ eas omnes leges in se contineat. Qui enim in voluntatibus variis perfectam finium unitatem inveniamus (1) ? »

Equidem satis facile eo adducerer ut dicerem Dei unitatem ex hac rerum universitate plane ostendi non posse : sed hoc nihil ad præsentem nostram quæstionem ; de hac vero incunctanter quivis pronuntiabit neque in mundo naturali neque in mundo

1. Ibid. sect. 2. Barni, t. 2, p. 374.

morali fore unquam finium unitatem, nisi aut unica sit suprema causa, aut plures quidem sint sed voluntate concordes. Quod nisi fuerit, corporeus hicce mundus nec rectam servabit partium suarum convenientiam, sed in chaos redibit, nec ad id adhiberi poterit ut summum bonum consummet, virtuti præmia, vitiis vero pœnas retribuens. Sed altius scrutemur quæ qualisve sit illa moralis unitas quam tantopere Kantius urget, cuique tanta consequi asseverat. Equidem nihil in mundo morali invenio quod magis unum sit quam in mundo naturali : moralis enim mundus nihil aliud est quam hominum prope infinitus numerus, meritis diversissimorum, inæqualibusque præmiis pœnisve dignorum. En quæ sit illa unitas. Jam vero ut in mundo morali omnia rite fiant, vel, si cum Kantio loqui placet, ut in istis unitas servetur, nihil utique aptius esse potest quam moderator unus qui tanto muneri impar non sit. Sed nunquam monstrare potuisset Criticus quare plures numero moderatores idem præstare non valerent, si animis essent concordes ; illud autem præsertim monstrare nunquam potuisset quare naturalis unitas a pluribus proficisci possit, moralis vero unitas nequaquam possit.

Quod quidem ita manifestum est ut ex iis quæ alibi Kantius ipse scripsit ostendi possit ; animadverti enim hac quoque in re a Kantio ad ipsum Kantium provocari posse ; quod mihi quam maxime jucundum est, quia in theologia, in re scilicet longe præ-

cipua, tanti philosophi auctoritate me premi ægerrime fero. Ille igitur in *Critica judicii*, postquam pro more physicam theologiam depressit, illa scribit : « Veteribus haud ita vitio verti potest, cum Deos suos partim secundum facultatem, partim quoad fines voluntatesque, admodum multifariam diversos.... cogitarunt.... Quia bonum malumque.... admodum mixta reperiebant.... vix aliter eorum de causa mundi suprema fieri judicium poterat, quatenus quippe in ratione ex normis theoretice utenda sibi prorsus constabant (1). » Quam igitur ob causam, si Kantio credimus, plurimos Deos veteres excogitarunt et agnoverunt ? Quia bonum et malum admodum permixta reperiebant. Esto ! Bonum vero et malum nonne ad moralem ordinem magna ex parte pertinent ? Hoc omnes, hoc Kantius profitetur. Ergo, judice ipso, non minus in morali quam in physico ordine adsunt pericula quæ theologus vitare debeat, si velit divinam naturam recte definire, si, verbi gratia, unum esse Deum sibi persuadere velit. Quod quidem variis hominum opinionibus comprobatur. Nonne enim ex plurimis illis veterum Diis, alii morali bono, id est, honestati, alii morali malo, id est, vitiis præerant ? Nonne apud multas gentes duo numina contraria, unum bonum, malum alterum, colebantur ? Et quis demum duo illa Manichæorum principia non novit ?

1. Ita vertit Born, vol. III, Critic. judic., 2 part. Method. § 85, p. 465. Barni, ibid., §84, p. 147-8.

Sed transeamus ad aliud prædicatum : « Voluntas ea (scilicet unica et suprema) omnipotens sit oportet, ut ei subjectæ sint tum rerum natura, tum hujus habitudo ad moralitatem quæ in mundo est (1). » Igitur, uti supra Kantius pronuntiabat, natura rerum sola ad auctoris potestatem maximam quidem sed plane indeterminatam nos ducit ; verum si naturæ rerum addatur ejusdem naturæ ad moralitatem habitudo, tum omnipotentia ipsa omnino in Deo requiritur. Sed perspicit quilibet rationem hanc parum recte esse conclusam et potestatem quæ, si maxima fuerit, naturam rerum regere valet, augeri quidem, sed minime infinitam fieri ex eo quod naturæ huic regendæ addatur ejusdem cum moralitate conciliatio. Simili autem modo de aliis prædicatis disseram, atque ut uno verbo rem totam absolvam, sequar de hac Kantianæ theologiæ parte Adulphum Garnier ita scribentem : « Maximum illud intervallum quod inter corporei mundi magnitudinem et omnipotentiam Dei, inter universi ordinem et infinitam Dei sapientiam, idem omnino manet inter ordinem moralem qualem ratio nostra conspicit et infinitam quam eadem ratio in Deo esse credit bonitatem. Ecquid verum est vitiorum ac moralis legis pugna melius Dei unitatem prodi quam pugna diei et lucis, vel frigoris et caloris, vel abundantiæ et penuriæ ? Ecquid verum est ad id ut pectora penitus

1. Crit. rat. pur, Method. cap. 2, sect. 2. Barni, t. 2, p. 378.

explorentur infinitam opus esse sapientiam ? Aut potestatem limite carentem ad conciliandam cum felicitate virtutem ? Limitibus coercitus est moralis mundus non minus quam corporeus : parvus est numerus hominum quorum vel cognoscendi sunt animi et malefacta punienda aut virtutes remunerandæ ; præterea lex moralis infinitis non constat axiomatibus : non hos igitur intra fines Deum illum inveniemus infinitum omnipotentem, infinite sapientem ac bonum cui nostra supplicat fides (1)... »

II. Parum ergo felix Kantius est ubi disserendo, sed solis moralibus rationibus Deum determinare conatur ; fuitne felicior ubi in auxilium advocavit philosophiæ adeoque totius humanæ rationis historiam ? Qui autem fieri potuisset ut doctrinam male mente conceptam historia rebus comprobaret ? Kantius, in primo quidem opere, historiæ totum cursum in duas partes Christi ortu distinguit, dicitque morales notiones ante Christum rudes fuisse, sed postea esse purgatas ac sic saniorem genuisse theologiam. Ejus verba jam attulimus (2) ; sed videamus nunc quam multa in his pro more finxerit. Omnino quidem fatemur rudem humilemque fore Dei notionem, nisi moralia axiomata et pura et rite determinata fuerint, quia sine his nunquam Deo moralia prædicata tribuere poterimus quæ omnium sunt maxime vene-

1. Garnier, Facultés de l'âme, liv. XI, chap. 5, § 22, p. 410-411.
2. Vid. cap. 2, art. 2, n° II.

randa ; quod quidem ante jam diximus. Sed præterquam quod Kantius per moralis ordinis notionem prædicata quæ metaphysica nuncupantur inveniri posse satis perperam contendit, falsum omnino est ante Christum natum morales notiones nihil certi, nihil puri habuisse. Ecquid meminit Criticus Socratem, Platonem atque, aliis omissis, Tullium ? Miror equidem quod sic tela quibus ipsum confodiam ipse mihi ministret ! Illud enim quod et moralis doctrina tam sublimis fuit apud multos, apud Tullium, verbi gratia, in libro *de officiis* aliisque scriptis, et tamen eorum theologia humi atque in caligine sese volutavit, manifestissime ostendit quantum a vero Criticus aberret, cum morali doctrinæ tantam in theologia vim tribuit ! Atque, ut universim pronuntiem, nonne moralis in homine rationis vim admiramur quæ sincera integraque permansit, quamvis falsa absurdaque et corruptissima theologia tot sæculis regnarit ? Sic ergo Kantius de veteribus loquens labitur : sed præterea, si de sacris christianorum libris ex ipso judicaverimus, morales tantum præceptiones in istis reperiri facile credemus, cum, contra, certissimum sit novas quæ ibi in lucem eduntur doctrinas majori ex parte de Deo esse deque hujus tum interna natura, tum circa humanum genus providentia ; unde patet divinum Christianæ Religionis Conditorem non illud cum Kantio existimasse, si morum doctrina omnibus absolveretur numeris, statim theologiam quoque non solum omnibus purgatum iri erroribus, sed plenissima

veritatis luce perfundendam. Nihil autem mirum si inter homines omnium ætatum majori semper luce fulsit doctrina morum quam theologia : altera enim quasi in mente efficta statim manifestissime conscientiæ sese ostendit ; altera autem non nisi investigando et disserendo ad id quo collineat pertingere potest, uti sæpe diximus.

Cæterum in illo quoque de historia judicio, Kantius a seipso non dissentire non potuisse videtur : in opere enim de *Ratione practica*, id veteribus græcis tribuit quod primum Christianæ Religioni in acceptis retulerat. Sic enim scribit : « Postquam acuta illa ingenia tantum in investigando profecissent ut ipsas res morales de quibus alii populi nihil nisi sunt nugati, philosophice explicarent, tunc statim novam humanæ rationis cupiditatem invenerunt, practicam scilicet cupiditatem quæ id non efficere non poterat, ut ipsis de Ente originario determinatam notionem ministraret (1). » Sed hæc Kantii sententia priori est simillima ; simillima quoque sunt quæ in ea reprehendi possent. Et primum, cur tempora non signavit quibus Græci de morali doctrina philosophice disserere cœperunt ? Facilius ita Kantium, si recta diceret, recta dixisse appareret. Sed hoc tanti non est : constat enim multis ante Christum sæculis moralem doctrinam mire apud Græcos floruisse. Sed quid de theologia dicendum ? In Socrate quidem et

1. Crit. rat. pract. Dial., c. 2, n° VII. Barni, p. 359.

in Platone satis sana est. Sed quis Aristoteleum Deum non pro libitu confictum dicat ? Quid, quod postea Epicurus aut Deum non esse docuit, aut risu dignum produxit ? Quid, quod Stoïci, et ii quidem propter doctrinam morum celebratissimi, Deum cum mundo confuderunt, ita ut mundi inseparabilem animam esse contenderent ?

Sed hæc sufficiant : quid igitur restat de Kantii morali theologia ?

Atque lectorem moneo illud hic a me non quæri quid in intima penitus Kantii mente moralis theologia valeat ; huic enim quæstioni jam alibi est a me responsum ; sed quæro quid ex ista theologia per se considerata jam restet, postquam rite expensa est. Atqui, judicio meo, vix aliud ex ea restat, nisi illud quod nos eo ducit ut conjiciamus esse aliquem Deum, quodque plane videmus rerum naturam aliquando, si Deus aliquis esset, humano generi fore commodiorem et quod tandem, nisi sit Deus, virtus præmia sibi debita nunquam consequetur.

ARTICULUS TERTIUS.

Alia quoque argumenta quæ ex lege morali ducuntur, vel moralia quodam sensu nominantur, parum, si per se considerentur, efficere convincuntur. — Delineatur certa argumentandi forma ad quam cætera argumenta quæ recta esse videantur, quasi sponte rediguntur. — Epilogus opusculi.

I. Sed, uti promisi, totam theologiam moralem

qualem nunc, Kantii, ut equidem credo, exemplo, edisserere solent, expendere volo. Et primo occurrit argumentum quod passim hodie reperias quodque illis fere verbis explicatur :

« Ostendit nobis conscientia moralem legem quæ nos obligat ; jam vero nulla lex sine legis latore exsistere potuit : porro legislator iste homo esse nequit ; non enim homo necessarias eas rerum inter se habitudines creavit quibus lex ista nititur ; non ipse sibi naturalem indidit boni amorem malique odium ; non ipse tandem legem hanc sanctione firmavit. Est ergo aliquis moralis legis auctor ; hic autem Deus est. »

Prima fronte quis hæc non libenter accipiat et verissima putet, quia veritati et proxima sunt et simillima ? Sed si propius inspiciantur perque partes, uti oportet, considerentur, tunc non sufficere comperimus laudandosque intelligimus veteres qui, cum legis moralis ad Deum habitudinem probe nossent, eam tamen nunquam, quantum equidem scio, usurpabant veluti peculiare argumentum quo Deum esse ratione ac via pervincerent.

Singula igitur in hac argumentatione dispiciamus. Primum affirmant legem moralem quæ in nobis est sine legis latore exsistere non potuisse. Hoc autem ego istis philosophis dare interim possum, quamvis maxime ambiguum sit et *naturalis* morum lex cæteris legibus immerito æquiparetur. Postea vero quid dicitur ? « Legislator autem ille homo esse nequit. »

Hic vero aperte jam contradicendum est : si enim in quæstionis nostræ limitibus certis nos continuerimus, si meminerimus a nobis hic Deum quæri, ac proinde Deo quasi jam cognito nos uti nequaquam posse, tum non ita pronuntiabimus ; sed simpliciter dicemus ipsum hominem esse quasi obvium et *immediatum* legis moralis auctorem, non voluntarium quidem et liberum auctorem, sed eodem modo quo omnium suarum operationum est auctor. Quid enim est lex illa ? Nonne tota quanta est, moralibus iis judiciis constat quæ de factis, tum nostris, tum alienis, pronuntiamus ? Porro quid est tam nostrum opus quam nostra judicia ? Imo, si res ad vivum resecare placet, judicia nostra nihil aliud sunt nisi nosmetipsi quatenus judicamus. Perperam igitur aliquis hic objiciat nullam sine legislatore legem exsistere posse, quandoquidem homo ipse et lex est et legis lator.

Si quis autem de legibus loquatur quæ sunt præter naturalem legem latæ, easque non quatenus in mente legislatoris sunt, sed quatenus in chartis aut aliis tabulis consideret, tum vere dicitur nullam sine legislatore legem exsistere posse. Quis, verbi gratia, dubitet duodecim tabulas a romanis legum latoribus confici debuisse ? Fixum igitur illud est naturalem morum legem effectum quidem aliquod esse, sed cujus causa tam cito tamque manifeste se offert quam effectum ipsum ; causa autem ista unusquisque hominum sibimetipsi est. Hic ergo, in hac, inquam, causa

stare cogimur, neque in hac via gradum ullum facere ad Deum inveniendum nobis licet, nisi moralem, quod per se patet, ordinem deseramus ac potius cum alio ordine conjungamus.

Videamus tamen quid ultra tentet ista argumentatio, ut hominem propriæ legis naturalis non esse causam ostendat : « Non ipse homo, inquiunt, necessarias creavit rerum inter se habitudines quibus lex illa nititur. » Hæc tanquam ambigua distinguenda mihi videntur : fateor hominem non id effecisse ut parentem filius colere deberet ; sed quis id efficit ? Id si quis effecit, non ergo necessarium est secumque pugnabit argumentatio. Ii sane qui, ut quocumque modo multas congerant theologicas probationes, ista dicunt, minime tamen profitentur Deum quem esse credunt, libero decreto bonum et malum condidisse. Ne igitur id nunc afferant, ut naturali hominis legi aliquem esse ab homine distinctum auctorem vincant.

Sed forte istis verbis illud significari voluerunt hominem non esse sui causam, seu, ut recte loquar, non esse sine causa, non a seipso esse, sed per alienæ causæ effectionem aliquando esse cœpisse ; unde sequitur neque legem moralem quæ ipsius naturæ pars est vel maxima, ab ipso homine uti auctore libero prodiisse. Quo quidem pariter pertinent hæc quæ in argumentatione sequuntur : « non ille magis sibi impressit naturalem boni amorem malique odium ; non ille tandem legem hanc sanctione fir-

mavit. » Ego autem hæc omnino recipio ; sed moneo ea esse a probatione mere morali alienissima, atque eo spectare ut humanos animos, ut naturam humanam contingentem esse vincant ; quæ quidem pars est longe præcipua ejus probationis quam modo per summa capita exponam. Huc usque igitur nullum habemus peculiare argumentum quod e lege morali oriatur.

II. Sed sunt qui alia ratione probationem moralem conformarunt, atque ita disseruerunt : « Moralia judicia nos obligant ; ostendunt igitur a nobis dominum aliquem agnosci oportere, istorum judiciorum auctorem : hic autem dominus Deus ipse est quem quærimus. » Hæc ego parvi aut nullius facio : primum enim ex omnibus judiciis, modo ea manifesta fuerint, pariter ratiocinari possumus ; omnia enim hæc judicia nos itidem cogunt, nobisque dominantur, adeo ut probatio ista, si vera esset, non esset moralis potiusquam speculativa. Tum vero gravius aliquid animadvertam : omnes qui Deum sanctum esse credunt, nonne agnoscunt illum naturæ necessitate semper rationis imperium, suis in decretis, sequi ? Attamen nullum propterea dominum Deo tribuunt, nullius illum causæ opus esse volunt. Et jure quidem merito de Deo sic ratiocinantur, quandoquidem in istis nulla est aut infirmitatis aut naturæ minus excellentis nota. Caveant igitur ne secum misere pugnent, dum quæ sunt in humana natura excellentissima, ea ipsa usurpant ut hanc naturam per causam

esse cœpisse, utque hanc domino alicui subjectam esse pervincant.

III. Hæc satis superque esse puto ut pateat nullam ex ordine morali peculiarem probationem elici posse. Sed quoniam de moralibus agimus, nunc expendere volo aliam probationem quæ, ultimis hisce seculis, *moralis* item vocari solet, quæque a totius generis humani consensione repetitur.

Ante omnia igitur notemus hoc argumentum nomine tantum cum iis convenire quæ modo excussi ; illa enim a lege morali ducuntur ; hoc autem, sermone jamdudum recepto, *morale* vocatur quia cum vere argumentum non sit, pro argumento tamen habetur ; haud immerito autem diceretur argumentum ex mera aliorum auctoritate ductum, cum cætera a ratione sola petantur. Quapropter etsi hoc argumentum ad formam illam quam postea describam redigi non posset, nihilo tamen minus pollicitationem qua me ipse initio obstrinxi (1), plane servari posse judicarem, quia de solis ex ratione petitis argumentis id sum pollicitus. Videamus tamen nonne de hac hominum in agnoscendo Deo consensione quædam observari possint quibus ista quoque probatio, aut vim parvam, si sola per se spectetur, habeat, aut in alias easque validiores rationes recidat.

Et primo quidem rogabo possitne quis solo aliorum testimonio in Deum credere ; equidem vix fieri posse

1. Vid. cap. II, initio.

existimarem : nisi enim quis aliquatenus ipse per se ratiocinatus fuerit de contingentia tum sui ipsius, tum corporei hujus mundi, deque omnium contingentium rerum suprema causa, atque uno verbo, nisi quis probationem illam quam e ratione sponte fluere jam dixi, obscure saltem mente efformarit, nihil plane in aliorum testimonio videbit testimoniumque hoc proin inutile ipsi fiet. Fac enim testentur cæteri cuipiam esse Deum, esse videlicet supremam æternamque omnium rerum causam sapientemque earumdem moderatricem, quid hæc illius mentem tangent, nisi prius ipse rudi saltem modo has ratiocinationes inchoaverit? Simili prorsus modo testimonium de rebus ex sensu cognoscendis inutile illi erit qui non, per ea quæ experiundo antea cognovit, mente concipere et cogitare poterit ea quæ sibi a testibus narrabuntur. Cæterum inter eos homines quos aut natura non plane destituit, aut teterrima barbaries non reddidit brutos, neminem invenire est cujus in animo sponte non nascatur illa ratiocinatio; nisi enim ita foret, non exsisteret illa omnium sæculorum ac gentium consensio quæ certissima est et ad quam, Deum esse probaturi, sponte provocamus.

Alia nunc parte quæstionem nostram consideremus; probatio illa quæ ex omnium gentium testimonio Deum esse concludit, si sola usurparetur, non posset diu usurpari, quin hoc ipso, quod mirabile dictu videtur, evanesceret. Si enim vel una hominum ætas, solo priorum hominum testimonio, Deum esse crederet, statim ii qui succederent homines ad omnium ætatum testimonium provocare non possent : etenim testimonium tunc solum auctoritate pollet sua, cum ab iis proficiscitur qui rem quam testantur aut suis ipsi sensibus perceperunt aut propria ratione attigerunt : fac autem homines, hocce nostro ævo, non jam ratiocinari ut Deum esse sibi persuadeant, sed prioribus hominibus Deum esse testantibus fidem adhibere, patet hujus ævi hominum testimonium nullius apud posteros auctoritatis futurum.

Sed ista vel fingere vanum est, quandoquidem ita natura comparati sumus ut Deum esse non ex auctoritate aliena credamus, sed ratiocinando nobis ipsi persuadeamus : quod si autem omnium gentium, omniumque ætatum consensionem hac de re tanta diligentia ostendere studemus, hoc ideo tantum fit quia nostram cum toto genere humano consensionem comprobare volumus ; in qua comprobanda tantum est animi nostri gaudium, tanta judicii quies ut nihil supra esse possit, cum, contra, nihil magis nobis displiceat quam aliorum a nobis dissensio. Quis enim nescit esse homines ejusmodi qui errare cum plurimis malint quam veritatem aut soli, aut cum paucis amplecti ? Hæc omnia eo pertinent ut ista per alienum testimonium probatio nihil veræ probationi nisi aliquam animi quietem addat. Interdum tamen altius quædam et acutius de ea re disseruntur, et sæpe Tullius hanc omnium hominum consensionem quasi ipsam humanæ naturæ vocem prædicat. Esto :

sed quis non videat, si hanc naturæ vocem veritatis cautionem et pignus esse vincere voluerimus, illa duo statim monstrari oportere et humanam naturam conditam esse atque eam ita a suo conditore comparatam ut hunc ratiocinando agnosceret? Quæ quidem probandi forma, nihil proprii, nihil peculiare jam habet, sed prorsus cum ea concordat quam mox delineabo.

Itaque exsolvisse ego confido quod promiseram monstravique omnes quotquot ex diversissimis, moralibus certe, eruuntur locis et componuntur probationes, per se ipsas mutilas esse ac proinde nullam esse posse theologiam quæ moralis proprie nominetur.

IV. Nunc tempus est ut per summa capita describam illam argumenti formam quam jamdiu nuntiavi. Ante omnia vero lectorem omnino monitum volo nequaquam me eo spectare ut novas probationes vel ratiocinationes hic afferam; ab hoc equidem ita longe absum et quasi abhorreo ut si Anselmo Cantuariensi archiepiscopo aut Cartesio adfuissem, quum illi novas illas et utique ingeniosas ratiocinationes meditando quasi extusas in lucem ederent, minime dubitassem cum illis hac quasi præscriptione agere quod jam nihil novi, quod quidem rectum esset, hac de re posset excogitari. Quis enim credat sæculo post Christum natum undecimo vel decimo septimo aliquid novi rectique reperiri potuisse in ea quæstione quæ et inde a primis hominibus et a cœteris consequenter ætatibus non potuerit non semper versari, quæque nullis experimentis, sed sola eaque obvia et facili tum animi humani tum corporei hujusce mundi cognitione, sola denique cogitatione solvi possit ac debeat, et in qua tandem expendenda tot homines acutissimi ingenii impensam operam collocarint? Itaque argumentum quod hic subjicere volo, nihil habet quod ubique non sit, et si quid recti sit in cæteris argumentis, hoc statim sibi ut suum vindicat; nullo peculiari nomine distinguitur, tum quia non ad aliquam humanæ mentis facultatem sed ad eam totam pertinet, tum quia non aliquam rerum partem sed res generatim omnes considerat eisque utitur; in hoc denique est ac versatur ut ratione ac via describatur ordineturque primigenia illa commentatio quæ sponte prodit ab humana mente, cum de sui ipsius deque hujus mundi origine et natura anquirit.

Porro argumentum hoc ad tres propositiones non incommode redigitur videbitque facillime lector earum primam satis respondere argumento quod *ab ente necessario* dici solet, secundam autem argumento quod est *a contingentia mundi*, tertiam denique ei quod *a causis finalibus* ducitur. Hic vero tria illa argumenta non sic afferuntur ut per se sola videantur valere sed ut in unam cujus sint necessariæ partes argumentationem coalescant.

Prima propositio sic fere concipi potest: a tota æternitate necessario est aliquid; hoc autem quod ex necessitate est, minime ad infinitam causarum seriem redigi potest, quia series ista, præterquam

quod multiplici ex parte absurda est, ex eo præcipue est absurda quod necessarium causalitatis axioma, sin minus verbo, re certe, negat.

Secunda propositio sit ejusmodi : Æternum vero illud quod ratio esse evincit, quid est aut ubinam est? Oportet ut sit extra totum hunc mundum, nempe extra illam rerum seriem quæ a corporum elementis ad humanos animos perducitur : cuncta enim hæc adeo sunt imperfecta ut ea aliquando esse cœpisse humana ratio sibi non persuadere non possit.

Tertia propositio sic concludit : cum totus hic mundus esse cœperit, a causa effectrice necessario prodiit : quæ quidem causa, præterquam quod ab opere suo distincta esse utpote æterna debet, tanto operi par non esse non potest; quin etiam nullum bonitatis suæ limitem pati potest adeoque infinita est; hæc autem Deus vocatur.

Ex tribus istis propositionibus prima quæ ponit esse aliquid necessarium sive æternum facillima est, quia nihil aliud est, si diligenter attendas, quam manifestissimum illud causalitatis axioma. Erit fortasse qui putet seriem causarum infinitam aliquid habere difficultatis ; hoc ego non credo, monstroque seriem hanc causalitatis axiomati aperta fronte adversari. Secunda vero propositio plus habet difficultatis : ea tamen, tum naturali quadam fide creditur, ut recte observavit hoc ævo Adulphus Garnier (1),

1. Facultés de l'âme. Des croyances, chap. 3.

tum ad sufficientem evidentiam ratiocinando adduci potest. Cæterum facile quivis videt atheos et pantheistas illud pro dogmate primo assumere quod hæc secunda propositio negat. Itaque, si quis esse Deum recte probasse se putaret, quin mundum hunc esse cœpisse probasset, fucum sibi, credo, faceret, quia ejus argumentum adversarios ne tangeret quidem. Tertia propositio, si cum secunda comparetur, facilis est.

Sed sæpe dixi nihil fuisse unquam hac de quæstione prolatum quod, si tamen rectum sit, in hanc argumenti formam non facillime admittatur : hoc jam de paucis argumentis explicare volo.

Et primo quid dicam de omnibus moralibus rationibus quæ jam expositæ sunt? Quomodo in argumentum modo descriptum admitti possunt, quidve ibi proderunt? Habent pleræque locum suum in secunda propositione, ubi ad id proderunt ut humani animi contingentia demonstretur : si enim humanus animus a seipso esset, nulli utique potestati esset obnoxius, nec proinde in eo fieret pugna illa notissima inter rationem moralem imperantem et cupiditates in malum trahentes, neque illud accideret ut, cum adversus rationem liberum arbitrium rebellaret, ægritudine animus conficeretur. Illud etiam considera : ecce aliquis virtutem coluit, seque præmio dignum agnoscit et miserrimus tamen vivit. Hæccine sunt ejus qui a se esset ac proinde nullius

causæ esset opus? Præterea satis dixi (1) conceptus nostros morales eo nos perducere ut Deo moralia prædicata tribuamus : quod quidem fit in tertia argumenti propositione. Facile igitur morales rationes argumento a me exposito se accommodant, atque idem fere de omnibus monstrarem, si locus hic esset.

Sed quid de illo argumento quod tam ingeniose Cartesius excogitavit, in quo videlicet ideam Infiniti in mente nostra vigere considerans, conclusit huic ideæ causam esse oportere infinitam quæ Deus est? Fateor illud argumentum quale est apud Cartesium, hoc quod modo proposui brevius esse ; fateor in hoc vix posse admitti ; sed id minime doleo, quandoquidem Cartesianum inventum reprehendi debere puto : dicit Cartesius ideam Infiniti in mente nostra vigere. Esto : sed præterquam quod Cartesius ipse in libello *de Methodo* (2) optime docet quonam modo hæc idea in nobis a nobis metipsis efficiatur, universim dico omnem ideam quæ in mente nostra est a mente nostra effici debere ; nos igitur causa hic sumus integra, et illa idea, si consideretur ut aliquod effectum, non prohibet quominus in nobismetipsis stemus neque quidquam anquiramus ultra.

Sed postquam mundi humanique animi contingentia ostensa est, tunc plurimum prodest hæc Infiniti idea, ut intelligamus quanta sit illa effectrix supremaque causa quæ humanum animum tali facul-

1. Vide hoc cap., art. 2.
2. 4 p., n° 4.

tate donavit : quod quidem Cartesius ipse fecit, ubi secundam suam probationem exposuit (1).

Unum ergo restat Anselmi argumentum quod forma modo proposita nulla ex parte admittit. Itaque si argumentum hoc aliquid efficit, non possunt, ut ego volebam, in unum omnia argumenta redigi, siquidem nihil cum cæteris commune habet Anselmi inventum. Sed ut quod persuasissimum habeo cum libertate philosophica dicam, vellem plerasque res tam bene intelligere quam intelligo probationem illam, qualem quidem mente informo, nihil efficere posse. Minime hic vacat controversiam renovare jam sexcenties agitatam ; sunt tamen quæ non observare non possum. Nonne enim jure merito suspectum habeo argumentum illud quod, postquam a nobili philosopho fuisset excogitatum, a suis dein defensoribus sexcenties est retractatum et quasi incudi redditum, nec tamen unquam vel ipsis plene fuit probatum? Fuere præterea philosophi qui ab Anselmo stare professi sententiam ejus ex toto immutarent atque ita desererent : vide, verbi gratia, Fenelonem (2) qui sic disserere incipit ut ens aliquod necessarium esse asseveret : quod quidem nihil cum Anselmo commune habet.

Ab aliquot annis nonnullos audio qui dicant Bossuetum quoque Anselmo assensisse : sed præterquam

1. Medit. 3.
2. Traité de l'existence de Dieu, 2 p., 3e preuve, n° 35 1°. Édit. Lebel, p. 184.

quod in libro *de cognoscendo Deo* etc. ne vocem quidem in hanc sententiam scripsit, in altero opere (1) quod nunc affertur, non id curat ut Anselmi argumentum referat, sed postquam Deum esse sine ulla probatione affirmavit, contendit infinitam, ut aiunt, perfectionem rationem potius esse cur aliquid sit quam cur non sit, et hoc quidem singulari illo suo et quasi divino modo edisserit.

Quod pertinet ad nostrum ævum, duo sunt quæ eo me impellunt ut Anselmo non assentiar: primum quidem quod ex ontologistis ipsis video qui (2) ejus argumentum perperam conclusum dicant; dein quod summis laudibus extollitur ab iis pantheistis qui idearum ordinem cum rerum ordine confundere voluerunt.

Itaque jure merito dixisse me arbitror in eam argumenti formam quam proposui facile admitti quæcumque recta ratio ut Deum esse firmaret excogitavit; hæc enim omnia natura conjuncta esse credo, et conjungi oportere ut vera efficiatur probatio.

Ad hanc normam atque in hanc sententiam equidem reformari velim, hac certe in parte, philosophicam disciplinam; atque ita verbis obsequor quibus nobilis hujus ævi philosophus, postquam de Deo præclare disseruerat, suos monebat: « Quæstiones de rebus maximis admodum faciles ad solvendum æstimabamus, et argumenta quæ idonea certo non

1. Élévations sur les mystères. Initio.
2. Vide Ubaghs in notis ad versionem Proslogii.

erant, parum diligenter expensa probabamus (1). »

EPILOGUS.

Quæ cum ita sint, jam tempus est in paucissima contrahendi quæ hic exposita sunt vel disputata: Kantius igitur theologiam divisit in speculativam et moralem; in speculativa tria illa argumenta omnibus nota in unum quidem redegit, sed in illud quod cum duobus aliis nihil commune habet quodque tum ab ipso, tum ab aliis multis, vanum esse dicitur; adeo ut statim omnis speculativa theologia evanescat. Deinde Kantius moralem theologiam aggressus, ibi evidentiam et certitudinem inventum iri pollicitus erat; sed hæc in speciem tantum; mox enim ibi quoque cur dubitaret invenit et in dubitatione permansit.

Locus est apud ipsum celebris et jure laudatus: « duo sunt, inquit, quæ animum ad novam semper admirationem atque ad novam reverentiam movent, videlicet cœlum stellis distinctum supra nos, intra nos autem lex moralis (2). » Ego quoque Kantio gratulor quod ita est animo affectus; sed vehementius homini philosopho gratularer, si in istis duobus ea vidisset quæ insunt, si, inquam, vidisset et cœlum stellis distinctum et humanum animum lege morali

1. Caro, l'Idée de Dieu, c. 8, n° IV, p. 502.
2. Crit. rat. pract. Method. Conclus.

præditum, verbo, cuncta quibus hic mundus constat, cum sint imperfectissima, cum perpetuo mutentur, æterna minime esse, sed aliquando esse cœpisse atque adeo ab æterna causa fabricari debuisse quæ tanto par esset operi. Hanc ego theologiam et veram esse disputavi et ita humanæ menti inhærere ut nunquam ex ea deleri possit.

Vidi ac perlegi
Parisiis in Sorbona
a. d. MDCCCLXXVI kal. Aug.
Facultatis Litterarum Paris.
decanus,
H. WALLON.

Typis mandetur :
Academiæ Parisiensis Rector,
A. MOURIER.

INDEX MATERIARUM.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

EPILOGUS.

193. — ABBEVILLE. — TYP. ET STÉR. GUSTAVE RETAUX.

ERRATA

—

Page 20, in nota, lege : *sect*. 7, pro sect. 1, 2.
— 28, lineâ 11, lege *scilicet*, pro *silicet*.
— 38, lineâ 12, in hoc voce *statimque*, dele *que*.
— 40, in titulo, post verbum *quæ*, adde *fuerit*.
— 47, lineâ 27, lege *theoretica* pro *theoreticæ*.
-- 54, in notâ, lege *pur*, pro *part*.
— 96, lineâ 1, lege *existimarim* pro *existimarem*.